

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLXIX. Christus Cum Apostolis Ultimam Coenam Paschalem
Celebrat.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

CAPUT CLXIX.

CHRISTUS CUM APOSTOLIS ULTIMAM COENAM
PASCHALEM CELEBRAT.

MATTH. 26. v. 17. MARC. 14. v. 12. LUC. 22. v. 7.

RATIO ORDINIS.

Perduxerunt hactenus Evangelistæ feriem eorum, quæ Christus fecit & docuit usque ad *feriam quartam* hebdomadæ magnæ (id est, usque *ad Mercurii diem*, ut hodie ex gentilium consuetudine loquimur) post solennem in urbem ingressum *Dominicâ Palmarum* factum. Ordine igitur convenientissimo sequuntur ea, quæ *feriâ quintâ* ejusdem hebdomadæ, id est, *die Iovis* contigerunt. Quia enim circa vesperam dies Paschatos ac primus azymorum initium sumebat, ideò Christus discipulis suis præcipit, ut in urbem Hierosolymam, in qua sola juxta eandem legis constitutionem Pascha legitime celebrari poterat, sese conferant, ac quæ ad agni Paschalis manducationem necessaria, præparent, peractâ isthac præparatione circa vesperam ipse quoque in urbem venit & cum discipulis suis ultimam Paschalem coenam celebrat. Potest autem hæc series de quibusdam utiliter nos monere.

1. Feriâ quartâ prædixerat Christus discipulis suis post biduum Pascha futurum ac Filium hominis, id est, seipsum traditum iri, ut crucifigatur. Feriâ eadem Judas cum Pontificibus & Senioribus pactum inierat de Christo ipsis sine nullo popularis seditionis metu tradendo. Quia ergo tempus passioni divinitus præstitutum proximè imminebat, ideò etiam loco passionis Christus appropinquare voluit ac circa vesperam feriæ quintæ Hierosolymam sese contulit, non solum ut agnum Paschalem cum discipulis juxta legem manducaret, sed etiam ut Sacramentum Eucharistiæ ante mortem suam institueret ac semetipsum passioni sponte offerret. Neque enim *ἐν δέχεται* Prophetam *περὶν ἐξῆς* Hierusalem. Luc. 13. vers. 33. Cùm ante septimanas quasi tres Pontifices decretum facerent de Christo interficiendo Johan. 11. v. 53. abiit ipse *ex Bethania in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem, ibiq; commoratus cum suis discipulis. v. 54.* ut furori hostium suorum ad tempus cederet, nimirum quia nondum aderat constituta passionis hora. Sed feriâ quinta, in quam dies 14. mensis Nisan incidebat, non amplius ex Bethania in locum desertovicinum abijt, sed rectâ Hierosolymam in occursum hostium progreditur, nimirum quia noverat adesse jam tempus passioni suæ aeterno Patris consilio præstitutum.

2. Judæi traditiones suorum majorum secuti festum Paschatos transferant in Sabbatum, ne duæ feriæ magnæ immediatè sese contingerent, ut superius in c. 166. ostendimus. Sed repudiatâ illâ traditione legi divinæ adversâ Christus die 14. primi mensis,

quæ cum vespera quintæ feriæ initium sumebat, Pascha cum discipulis celebrare voluit, tùm ut legi divinæ propter nos & nostram salutem omnibus numeris perfectam obœdientiam præstaret, cùm ut exemplo suo doceret, verbi divini regulam omnibus hominum traditionibus esse præferendam. Quare cùm post gesta feriæ quartæ serie Historiæ ita exigente exponenda essent ea, quæ feriâ quintâ contigissent, præparationem agni Paschalis jussu Christi à discipulis peractam Evangelistæ prætermittere noluerunt.

3. Judas cum Pontificibus & Senioribus nefarium proditoris pactum inierat. Ut ergo Evangelistæ intelligendum relinquerent, post initum istud pactum proditorem ad Christi & Apostolorum consortium rediisse, animum suum proditorium egregiè dissimulasse & in omnem occasionem exequendi sua promissa intentum fuisse, ideo jam subjungunt, Christum cum duodecim Apostolis Hierosolymam venisse & cum illis ultimum Pascha celebrasse, ex quo colligi potest, Judam in eorum numero & consortio iterum fuisse.

4. Christus præclare noverat, ex passione & morte scandalum Apostolis non mediocre objectum iri, ideo eximiiis divinæ suæ omniscientiæ & omnipotentis speciminibus paulò ante passionem editis contra illud scandalum eos præmunire voluit, ad quæ referenda non solum resuscitatio Lazari, sanatio cœcorum & claudorum, confusio & repressio virulentissimorum hostium &c. sed etiam ac cum primis illud, quod Bethaniæ existens videt & Apostolis prædicat ipsis in urbem ingressis occursum hominem aquæ hydrum bajulantem, perinde ut ante regium suam in urbem Hierosolymam ingressum in luce omniscientiæ suæ videret animam & pullum foris in bivio stantes; quodq; animum patrisfamilias occulto suo instinctu ita fleat, ut nullâ habita periculorum ratione hospitium ipsi concedat, perinde ut ante proximum quadri-duum animos eorum, ad quos jumenta pertinebant, occulta virtute permoverat, ut eorum usum haud inviti ipsi concederent, ex quo discipuli colligere poterant & debebant, passionem ipsi nec inficio nec invito obtingere, cùm futura & absentia videat, inque manu sua omnium hominum corda habeat.

5. Matthæus statim ab inito capitis 26. Marcus cap. 14. Lucas cap. 22. mentionem fecerunt Paschatos sive agni Paschalis, quando retulerunt Christum discipulis suis dixisse. *Sciitis, quod post biduum Pascha fiet.* Postquam igitur per quandam *ἐπιβολὴν* ac digressionem de causis adjuvantibus Dominicæ passionis, videlicet de consultatione Pontificum ac pacto proditorio cum Juda ab ipsis

inito

inito, Itemq; de occasione nefarii illius sceleris proditori data differuerunt, redeunt ad continuationem Historiæ de agni Paschalis præparatione. 6. Evangelistæ dicunt, *Judam post initum proditoris pactum quasi fuisse oportunitatem, ut traderet Jesum Pontificibus sine turba.* Sequitur ergo tempus non solum Judæ ad tradendum Christum, sed etiam Christo ipsi ad sustinendam pro peccatis nostris ignominiosam traditionem, passionem & crucifixionem oportunum. *Venit enim primus dies azymorum, in quo necesse erat immolari Pascha, hoc erat tempus ad passionem Christi maximè oportunum, quia agnus Paschalis fuit typus veri illius, Agni, qui tollit peccata mundi, i. e. ipsius Christi.* Quinimò nisi Christo hoc tempus oportunum fuisset ad sustinendam passionem, non fuisset oportunum Judæ ad prodicionem, sed potuisset unico nutu omnes Judæ & Pontificum conatus reddere irritos. Dubium ergo nullum, quin prodicionem Christi de instante sua passione, consultationem Pontificum de Christi interfectione, & passionem Judæ proditoriam cum Pontificibus initam de Christi traditione recto & conveniente ordine sequatur Historia de agni Paschalis præparatione ac celebratione. Illud verò in dubitationem venit, an verba Christi, *Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum &c.* Item distributio poculi circularis, cuius Lucas meminit, referenda sint ad præsens caput in quo de cœna Paschali agitur, an verò ad sequens caput 171. in quo de Sacramento Eucharistiæ agitur. Posterius statuunt. 1. qui per *τοῦ αἵματος* in verbis Christi intelligunt novum Nov. Test. Pascha, id est, ipsum Eucharistiæ Sacramentum. 2. qui poculum illud circulare ac valedictorium unum atque idem fuisse statuunt cum poculo Eucharistico, in quo Christus sanguinem suum discipulis bibendum exhibuit. Sed concinnius est, per *τοῦ πάσης* in verbis Christi vetus Pascha sive agnum Paschalem intelligere & poculum illud valedictorium à poculo Sacramentali sive Eucharistico distinguere, ac proinde utrumque membrum ad præsens caput referre. Qui per Pascha, cuius manducandi desiderio sese flagrasse Christus testatur, Eucharisticam intelligunt, moventur hisce rationibus 1. quod antiquissimi Patres ita exponant. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 40. *Proinde scit & quando pati oporteret eum, cuius passionem lex figurat. Nam et tot festis Judæorum, Pasche diem elegit. In hoc enim Sacramentum pronuntiavit Moses, Pascha est Domini. Ideo & affectum suum ostendit, Concupiscentia concupivi Pascha edere vobiscum, antequam patiar. O legis destructorem qui concupierat etiam Pascha servare.* Nimirum vervecina illum Judaica delectaret? an ipse erat, qui tanquam ovis ad victimam adduci habens & tanquam ovis coram tondente, sic os non aperturus figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebatur &c. Professus itaque se concupiscentia concupisse edere Pascha ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit &c. Hieronymus in Matth. 26. *Finem carnali festivitati volens imponere, umbræque transeunte Pasche reddere veritatem, dixit, desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. Et enim Pascha nostrum immolatus est Christus, sitamen comedamus illud in azymis sinceritatis & veritatis.* Eusebius citatur in catena Thomæ. *Cum Domini*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda

nus novum Pascha celebraret, oportune dixit. *Desiderio desideravi hoc Pascha, id est, novum mysterium novi Testamenti, quod tradebat discipulis, quod plures ante cum Prophetæ & justis capiverant. Sed & ipse sitiens communem salutem hoc tradebat mysterium, quo toti mundo competeret; Pascha verò Moysis statutum erat in uno loco, scilicet in Jerusalem celebrari, unde non congruebat omnibus gentibus & ideo non erat desideratum.* Chrysof. homil. 63. in Matth. *Desiderio desideravi, inquit, hoc Pascha comedere, hoc est tradere vobis res novas & Pascha dare, quo vos spirituales faciam.* 2. Non videtur Christus tantopere vetus Pascha desiderasse, cum annis superioribus frequenter illud comederit. 3. Sicut Lucas bis meminit sacri calicis, ita quoque verisimile est, quod bis corporis Domini mentionem fecerit. 4. Luc. 12. v. 50. Christus de passionis suæ desiderio dicit. *Baptismate opus habeo baptizari & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Eodem sensu hoc loco Pascha se desiderare dicit, hoc est, suam passionem & eam proximè præcedentem Eucharistiæ institutionem. 5. Idem colligit Roffensis lib. 5. contra Oecolampad. ex verbis statim subjectis. *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud; donec impleatur in regno Dei.* De illo, inquit, Paschate Christus loquitur, quod in regno Dei, id est, post resurrectionem suam cum discipulis iterum comedit. *Jam verò post resurrectionem non comedit Pascha legale, novum autem Pascha edit, cum à duobus discipulis agnosceretur in Emaus in fractione panis.* Sed argumentis hisce tantum non inest robor, ut à communiter recepta interpretatione, quæ de legali Paschate hæc verba accipiuntur, nos dimovere possint. Nam 1. Lucas in præcedentibus verbis per Pascha semper intelligit Pascha legale. 2. De Eucharistia nondum poterat cum discipulis loqui, cum ea tunc nondum fuerit instituta. 3. De tali Paschate loquitur, quod erat implendum in regno Dei, id est, quod erat Pascha figurativum. Jam verò non novum, sed vetus sive legale Pascha fuit figurativum. Argumentis in contrarium adductis facile occurri potest 1. Patribus opponi possunt Patres reliqui, qui de legali Paschate verba Christi exponunt. Quin & dicta ipsorum hoc sensu accipi possunt, quod consequenter de novo Paschate Christum locutum fuisse statuunt, quatenus illud legali isti, quod Christus in his terris celebravit ultimum, fuit junctum. 2. Christus desideravit illud ultimum Pascha, non quia Pascha erat, sed quia ultimum erat, in quo abrogato veteri Paschate novum Nov. Test. Sacramentum instituire volebat, & post quod pro salute generis humani mortem aditurus erat ad veteris Paschatis figuram implendum. 3. Lucas nequaquam unius ejusdemq; calicis bis meminit, sed poculum valedictorium à Sacramentali fuit distinctum, ut paulò post manifestum fiet. 4. Per Pascha non potest hoc loco ipsa passio accipi, (quia Christus dicit, desideravi hoc Pascha, antequam patiar, quod non potest exponi, desideravi passionem, antequam patiar) sed intelligitur ultimum Pascha proximè passionem antegressum. 5. An per regnum Dei intelligitur tempus illud, quo Christus post resurrectionem ante suam in cælos ascensionem cum discipulis per 40. dies fuit conversatus, de eo inferius videbimus, illud certum est, quod Christus cum discipulis in Emaus non celebraverit Eucharistiæ, sed communem cœnam,

Nnnn 2 ut agno-

ut agnoscunt Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cajetanus, Janfenius & alii ex ipsis Pontificiis. Quod per poculum *valedictorium* intelligendum sit *Sacramentale*, statuit Augustinus libr. 3. de conf. Evangelist. c. 1. *Quod Lucas (inquit) de calice bis commemoravit, prius antequam panem daret deinde postea quam panem dedit, illud, quod superius dixit, præoccupavit, ut solet, illud verò quod ordine suo posuit, non commemoraverat superius. Utrumque autem conjunctum hanc sententiam facit, quæ & Matthæi est & Marci. Eadem est sententia Euthymii in c. 26. Matt. quam quidam ex recentioribus sequuntur, Janfenius, Maldonatus, Barradius h. l. Majerus in octo controv. & c. Argumentis probari potest ejusmodi 1. In lege Mosaica nihil præcipitur de potu quodam legali vel ceremoniali cum esu agni Paschalis conjungendo. 2. Poculum legale non dividebatur inter omnes ut poculum Evangelicum, sed quivis suum poculum hauriebat. Ergo poculum illud, de quo Christum dixisse Lucas asserit, *Accipite, dividite inter vos*, non fuit legale, sed Evangelicum sive Eucharisticum. 3. Lucas prioris calicis traditioni eadem verba subjicit quæ Matthæus & Marcus dicta à Christo memorant, quando calicem Eucharisticum discipulis suis tradidit. *Dico, vobis, non bibam de hoc genimine vitis, donec veniat regnum Dei.* Ergo cum sint eadem verba, ex eo fit verisimile, Lucam per anticipationem Eucharistiæ institutioni ea præmississe, quæ Matthæus & Marcus institutioni Eucharistiæ subjungunt, videlicet ut protestationem de non bibendo cum protestatione de non edendo jungeret. 4. Cum in v. 17. Lucas commemorasset, Dominum accepisse calicem, benedixisse, jussisse inter accumbentes distribui, ubi jam v. 20. ad calicem Eucharisticum accedit, ista ut paulò antè dicta omnia præterit & tantum commemorat verba, quibus Christus, quid in calice discipulis exhiberet, indicavit. 5. Quod Matthæus de poculo Sacramentali à Christo dictum memorat, *Bibite ex eo omnes*, idem est cum eo, quod de poculo valedictorio Lucas ab ipso dictum refert. *Dividite inter vos.* 6. Lucas nullam fecit mentionem Paschalis agni vel panis azymi, nec dixit, acceptam carne agni vel accepto pane azymo gratias egit. Quorum igitur de solo calice Paschali hæc commemoraret, cum in cœna potus sit interior cibo? Ideo ergo de solo calice dixit, Christum eo accepto gratias egisse, quia calix ille ad cœnam agni non pertinebat, sed eret calix Sacramentalis. 7. Quando Lucas calicem Eucharisticum v. 20. describit, addit articulum *τὸ αὐτὸ τῆριον*, qui cum sit *ἀναφορικὸς*, ostendit, de ejusmodi poculo sermonem esse, cujus in præcedentibus jam antè sine articulo facta sit mentio. Confirmatur argumentum ex eo, quod voci *ἀφρον* in parte priorè nullum addat articulum. 8. Omnia, quæ Lucas de calice recenset v. 17. & v. 20. nihil aliud continent, quàm id, quod Matthæus & Marcus de calice Eucharistico memorant. Matthæus & Marcus de calice Eucharistico memorant, quod Christus gratias egerit, calicem distribuerit, verum suum sanguinem in eo exhiberi testatus fuerit, ac protestatus, quod de genimine vitis non amplius sit bibiturus; ex his tertium Lucas suo ordine & loco v. 20. recenset, cætera verò per anticipationem sive præoccupationem narrat v. 17. Quod si ergo ea, quæ Matthæus & Marcus habent conjunctim, de uno tantum calice sunt intelligenda. Ergo etiam ea, quæ Lucas recitat*

seorsim. 9. Tatianus & Ammonius uterque Alexandrinus in Harmonia verba Lucæ ita ordinant, quasi unum tantum fuerit poculum. Sed rectius statuitur, poculum illud *circulare*, cujus Lucas mentionem facit vers. 17. distinctum fuisse ab illo poculo Eucharistico, cujus meminit v. 20. quam sententiam complures ex veteribus approbant. Hieron. in Matth. c. 26. In Luca legimus duos calices, quibus discipulis propinavit. Unum primi mensis & alterum secundi, ut qui inter sanctos primo mense agnum comedere non potuerit, secundo mense inter penitentes hædum comedat. Beda in Luc. cap. 22. *Et hic calix ad vetus illud Pascha, cui finem desiderabat imponere, pertinet, quo accepto gratias agit, ob hoc nimirum, quia vetera transitura & ventura erant omnia nova.* Et postea. *Sicut supra typicum agni esum, sic etiam potum Pasche typicum negat se ultragustaturum, donec ostensa & manifestata resurrectionis sue gloriæ regni Dei fides mundo adveniat.* Fulgent. quæst. 5. Ferrandi. *In utroque calice utrumque debet intelligi Testamentum, quia hoc nobis sic ipsa demonstravit veritas, ut nulla remaneret quærentibus difficultas. Nam ipse Dominus calicem (posteriorem) quem bibendum dedit, novum appellare dignatus est Testamentum.* Similia occurrunt apud Theophyl. in 22. Luc. Dionys. Carthusianum, Cajetan. Luc. Brügensem, Salmeronem in h. l. Bellar. l. 1. de Euch. c. 1. 1. & l. 4. c. 10. Brent. Chemnit. & plerosque omnes ex nostris. Antequam vero ad confirmationem hujus sententiæ accedamus, quatuor sunt notanda. 1. Non esse h. l. quæstionem de continente, sed de contento. Fieri potuit, imò verisimile est, fuisse idem numero poculum, quod Lucas v. 17. & v. 20. describit, sed potus in eo contentus fuit diversus. Prius nihil nisi vinum discipulis exhibuit, in posteriore verò mediantè benedicto vino etiam sanguis Christi ipsis bibendus exhibitus fuit. 2. De poculo *circulari*, cujus Lucas v. 17. meminit, duæ occurrunt sententiæ apud illos, qui à *Sacramentali* eum distinguunt. Quidam statuunt fuisse poculum duntaxat *valedictorium*, quo Christus discipulos admonere voluerit, hanc esse ultimam cœnam atque ultimum convivium, quod in his terris in hoc quidem statu & in corpore mortali cum ipsis celebraturus sit, ac proinde quando Christus dixit, *dividite inter vos*, tum esse sensum. Futurum est, ut brevi à vobis sejungar, ideò in signum amoris propino vobis hoc poculum *κοινωνίαν*, ex quo vos omnes bibere jubèo, ut memineritis, me vobis prædixisse, quod hoc sit ultimum convivium. Quidam verò statuunt, fuisse poculum *Paschale* cum esu agni apud Judæos in cœna subsecuta conjungi solitum. Tremellius ex ritu Judaicorum volumine *בשר ויין* Judæis dicto Ceremoniam panis & poculi, quæ sub finem cœnæ Paschalis sumunt, hisce verbis recitat. *Paterfamilias initio convivii sumit panem azymum integrum, quem in duas partes dividit, quarum unam sic benedicit. Benedictus es Domine Deus noster, Rex universi, qui educis panem à terra; vel sic. Benedictus es Domine Deus noster, Rex universi in esu panis azymi; alteram autem partem recondit sub mappa, ut videntes pueruli rogent, cur panem azymum abscondamus & eum differamus comedere. Deinde, ne si eum viderant, comedant inter convandum imprudentes. Postea peragit cœnam suam quisque letus, quæ peracta resumat paterfamilias partem illam, quam sub mappa absconderat, & ex ea recubens comedit tantillum.* quanta

quanta est oliva, distribuitque singulis accumbentibus, in Pasche[m] memoriam, nec quicquam cibi deinceps e[st] nocte gustant[is], ut gustus panis azymi mane[at] in ore ipsorum. Deinde ad eundem modum discumbens bibit & recitat gratiarum actiones, quibus sumto cibo solent gratias Deo agere. Scaliger lib. 6 de emend. tempor. p. 273. eadem ferè ex Rituali adducit. Addit autem quòd paterfamilias offulam illam azymam, quam devorare voluit, prius intinxerit in חרוסת (quod fuit emamma ex succo intyborum & lactucarum agrestitum paratum) quòd tortam azymam sub gausape vel mappa reservatam in tot frustra fregerit, quot in contubernio sive Φρατρία convivatores erant; quòd verba solennia, quibus paterfamilias in populo Israëlítico in porrigendo frustulo usus fuit, post diruta Hierosolyma leviter immutarint Sanhedrim, quæ in idiomate Hierosolymitano concepta sic habuerint. **הַלְלָהּ לַחֲמַת עֲרֵבָה דִּי נִכְלָו אֲבָהֵתָנָא בְּחַרְצָא דְּמַצוּת: כִּלְדִּכְפָּן יוֹתוּ וַיִּמְכְּלוּ כֹל דְּצִרְיָן יוֹתוּ וַיִּפְסַח**

ὁ δὲ ἄρτος τῆς θαλασσορίας, ὃν ἐφαγον οἱ παρρηγοῖ ἐμὴν ἐν γῆ Αἰγύπτῳ. Πᾶς ὁ φαγὼν αὐτοῦ καὶ φαγέτω, πᾶς ὁ ζῶν ἐξ αὐτοῦ, δεῖρο καὶ παρολίτω. *Iste est panis azyma, quem comederunt majores nostri in ternu Aegypti. Quisquis ejurit, accedat & comedat quisquis indiget, accedat & paschatizet.* Item quòd poculo Paschali paterfamilias benedixerit his verbis. **בְּרוּךְ אַתָּה יְיָ הוֹדוּ אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם כּוֹנֵן פְּרִי הַגֶּפֶן**

Benedictus es Domine Deus noster Rex mundi, qui fructum vitis creasti; quod paterfamilias poculum a se delibatum sive prægustatum tradiderit proximo, ille secundo, secundo tertio, donec per totam Φρατρίαν sive contubernium circumferretur potio, quòd poculum illud dictum fuerit הלל כוס הוינו במצותך propterea quod eo per coenam circumlato decantatus fuerit unus ex Psalmis Davidicis, qui incipiunt à verbo Hallelujah, quòd in canone Paschali disertè interdicitur post poculum illud laudationis aliquid cibi aut potus sumere. Recitat etià hanc benedictionis formulam longè antiquissimà omnib[us] benedictionibus in cœna Paschali adhiberi solitem. **בְּרוּךְ אַתָּה יְיָ הוֹדוּ אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם קַדְשׁוֹנוּ בְּמַצוֹתָיו וְצִוּוֹנוֹ עַל אֲכִילַת מַצָּה: εὐλογῆσθε εἰ ὁ κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν βασιλεὺς τῆς κόσμου, ὁ ἀγαθὸς ἡμᾶς τὰς ἐντολαῖς αὐτοῦ καὶ ἐπιλάμβανέτω ἡμῖν ὑπερὸς τῆς ἐδαδῆς τῆς ἀζύμων. Benedictus es Domine Deus noster, Rex seculi, qui sanctificasti nos mandatis tuis & præceptum dedisti super azymo.** Ad hoc ritus Judaicos Christum respexisse putant in poculi illius, quòd Lucas v. 17. describit, benedictione & distributione, quam sententiam non esse incongruam judicamus. 3. quòd verba Christi, non bibam de hoc genimine vitis &c. Matthæus & Marcus postponent distributioni calicis Sacramentalis, Lucas verò eidem illa præponat, ac de poculo cœnæ Paschalis ea à Domino pronunciata esse memoret. Quidam ergò statuunt, eadem verba bis à Christo pronunciata esse, semel quidem ante Eucharistiæ institutionem de poculo Paschali juxta descriptionem Luca; deinde iterum de poculo Sacramentali juxta descriptionem Matthæi & Marci. Quidam verò semel duntaxat ea à Christo dicta statuunt, videlicet *Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.*

ante Eucharistiæ institutionem ac proinde Matthæum & Marcum per recapitulationem ea institutioni Sacramenti postposuisse. Prior sententia videtur probabilior, ut postea ostendemus, ex qua evidenter colligitur, genimen vitis, i.e. vinum in poculo Eucharistico fuisse, quamvis non solum. 4. quòd in Syriaco textu omittatur, quicquid de priore poculo in Græcis fontibus habetur, integri scilicet duo, versiculi 17. & 18. cujus omissionis causa procul dubio fuerunt vel eadem verba, in quæ desinunt versus 16. & 18. מְלִכְוֹתָא מְלִכְוֹתָא vel eadem verba, à quibus incipiunt v. 17. & 19. וְנִסְבֵּי qualis defectus etiam apud Matthæum in Syriaca versione occurrit c. 24. v. 17. & 18. Hisce ita præmissis probamus distincta fuisse pocula, quorum Lucas v. 17. & v. 20. mentionem facit. 1. Si poculum illud, cujus priore loco meminit Lucas, fuisset Sacramentale, utique non ante consecratum panem Eucharisticum, sed post ejus consecrationem illud descripsisset, quia consecratio calicis in institutione cœnæ fuit ejus pars posterior, non prior. Præposterum ergò planè fuisset, ante panis Eucharistici consecrationem calicis Sacramentalis mentionem facere. Excipiunt, etiam Apostolum 1. Corinth. 10. v. 16. calicis prius mentionem facere quàm panis Respond. aliud est institutionem Eucharistiæ in propria sede describere, aliud ejusdem qualicumque modo meminisse. Quando Apostolus in propria sede Eucharistiæ institutionem describit, semper prius meminit panis quàm calicis 1. Corinth. II. v. 24. 26. 27. & 28. Excipiunt alii, verba de calice non amplius bibendo ideo à Luca præmissa fuisse Eucharistiæ institutioni, quia non potuerint commode separari ab illis, quæ de Paschate non amplius edendo commemorant. Respond. imò verò commodissimè hoc fieri potuisset ac debuisset, si verba de non amplius comedendo pertinerent ad agnum Paschalem; verba autem de non amplius bibendo tantum ad calicem Sacramentalem. 2. Immediata connexio protestationis de non amplius bibendo ex calice, cum protestatione de non amplius comedendo ex Paschate, ostendit ad unam eandemq; cœnam, Paschalem scilicet, utrumque esse referendum. Illud probè animadvertunt quidam ex illis, qui protestationem de non bibendo ex calice ad solam Eucharistiam referunt, unde ad eandem protestationem de non comedendo referendam esse voluerunt. Sed contrarium paulo prius fuit demonstratum. 3. Id ipsum confirmat recepta in populo Israëlítico consuetudo. Apud Judæos in majoribus præcipuè solennitatibus hoc observatur, ut paterfamilias aut alius, qui ad mensam confedit dignior, non solum panem in manus sumtum ac præmissa benedictione fractum per partes convivis distribuat, sed etiam eodem ritu circumferat poculum in concordia symbolum. Excipiunt, in institutione agni Paschalis nullam hujus ritus mentionem fieri. Respond. Quamvis hic ritus non habuerit disertum mandatum, tamen cum nihil contineat verbo divino adversum, sed pietati erga Deum & caritati erga proximum inferviat, ideo Christus cum in celebratione hujus cœnæ Paschalis, præsertim cum eam sciret fore ultimam, adhibere voluit. Adde, quòd vestigia quædam hujus ritus in ipsis Scripturis occurrant. Nam 1. Sam. 1. vers. 4. Elcana cum in Silo statutis diebus ascenderet ad immolandum



dum Domino, dicitur uxoris suis & filiis & filiabus suis dedisse parres. 4. Pedum lotio facta est post cœnam Paschalem & communem, ut paulò post in sequente capite demonstrabitur. Jam verò qui de calice Eucharistico v. 17. Lucæ accipiunt, statuunt hæc verba post pedum lotionem in Eucharistia institutione à Christo fuisse prolata, non comedam amplius, non bibam amplius &c. At quomodo convenit de cœna agni Paschalis adhuc Dominum loqui, cum eam jam pridem esset finita & novâ actione, videlicet pedum lotionem ad Eucharistia institutionem sive Cœnam Sacramentalem jam dum pasceve facta? 5. Non est verisimile, quod Christus Ceremoniam in Cœna Paschali observari solitam in nova novi Testamenti institutione adhibere voluerit, quia hac ratione Apostolorum animo non fuissent excitati & attenti redditi ad dignam tanti mysterii considerationem, ac humiles illæ origines mysterii hujus sublimitatem potius deprimunt, quàm augent. Nec opus fuit, Christum ad aliquem usitatum ritum respicere, cum novum Nov. T. Sacramentum ab omni seculo inauditum institueret, unde ipsemet Beza in. annotat. Luc. 22. hanc opinionem improbabilem judicat. Quòd si omninò statuere velimus, Christum ritus quosdam in Cœna Paschali usitatos in Cœna Sacramentalis institutione adhibuisse, non est cogitandum, quod Christus unâ eademq; benedictione & distributione panis & vini satisfecerit & Judaicæ illi consuetudini & institutioni Novi Sacramenti, ita namq; parum attentos habuisset discipulos ad Novi Sacramenti ad finem usq; duraturam institutionem, sed actionem repetiisse & ante lotionem pedum benedictione & distributione panis & calicis usum fuisse ob receptam consuetudinem, post lotionem verò singulari quadam benedictione & distributione panis & calicis denuò usum fuisse, ut respâ ostenderet, se novum quid & insolitum ordiri, ac in locum veteris Paschatis novum Pascha instituire; quod non amplius typico agni corpore & sanguine, sed proprio suo corpore & sanguine constare debeat. Id ipsum manifestè innuit Lucas, quando calicem bis à Domino in manus acceptum, benedictum discipulis distributum fuisse asserit. 6. Vocula *ὡσαύτως*, per quam calicis Eucharistici institutionem cum panis Eucharistici consecratione Lucas conjungit, manifestè ostendit, Evangelistam hoc significare voluisse, quòd eodem modo cum calice Dominus egerit, quomodo cum pane prius egerat, id est, quod eum quoq; in manus acceperit, benedixerit & discipulis distribuerit. At si non esset alius calix ille Eucharisticus ab eo, cujus jam antè in v. 17. mentio facta, Lucas de eo non diceret, quod Dominus *ὡσαύτως* similiter eum in manum accepisset, benedixisset & distribuisset, quia jam antè explicatum

fuisse, quod Dominus cum calice eo modo egisset. 7. Bellarm. d. 1. hoc argumentum addit. *Multò probabilius est, Mattheum & Marcum non narrasse suo loco rem parvimenti (protestationem de non bibendo amplius ex calice) quàm Lucam non narrasse recto ordine summum mysterium.* Sed argumentum hoc est infirmum, quia omnes Evangelistæ rectum narrandi ordinem hic tenuerunt, ut ex dictis patet. 8. Salmeron format ejusmodi argumentum, *Priorem calicem dedit Christus Apostolis inter cœnandum, posteriorem postquam cœnasset. Ergo posterior à priori fuit distinctus. Antecedens probatur, quia panem Eucharisticum etiam inter cœnandum dedit.* Sed panem Eucharisticum æque ac poculum Eucharisticum postquam cœnasset, discipulis effectum suo loco ostendimus. 9. Cajetanus argumentatur hoc modo. *Sicut in aliis sacrificiis semper adjugetur aliquod libamen, ita quoq; agnus Paschalis habuit proprium aliquod libamen, quâvis de eo non fiat mentio, ubi præcipitur agni Paschalis immolatio.* Sed in hoc ipso capite ostendimus, agnum Paschalem non fuisse sacrificium propriè sic dictum, sed Sacramentum. Argumentis in contrariam adductis facile responderi potest ex hæcenus dictis. 1. in Canone Paschali ante Christi nativitatem à Rabinis scripto inserta fit mentio hujus ritus, de Paschali poculo in orbem mensæ ire jussu, ut Scaliger ostendit. 2. Condidit ergo & alterum, quòd in Paschate veteri quilibet suum biberit poculum. 3. Protestatio de non bibendo amplius vitis germine bis fuit à Christo pronuntiata, semel quidem in distributione poculi Paschalis, alterâ vice in distributione poculi Sacramentalis, ut ex Evangelistarum descriptione manifestum. 4. Lucas in descriptione poculi Sacramentalis addit voculam *ὡσαύτως*, quæ ad panis Eucharistici consecrationem, non autem ad poculi Paschalis distributionem nos remittit. 5. Distributio utriusque poculo communis fuit, sed non propterea unum idemq; fuit poculum. 6. Ideò voluit Lucas Paschalis poculi in specie mentionem facere, ne Sacramentale poculum sanguinis cum ipso confunderetur. 7. Quando Paulus 1. Cor. II, 25. iisdem ferè verbis Eucharistia institutionem describit, quibus Lucas hic utitur, calici articulum addit dicens *τὸ ποτήριον*, non pani. Ergo Lucas poculo posteriori articulum addit cum priori non addiderit, ut distingueret calicem posteriori à priori, & significaret posteriorem fuisse singularem & eximium, priorem verò communem. 8. Acceptio in manus, benedictio generaliter accepta & distributio utriusque poculo communis fuit, sed benedictio specialis ac reificatio, quod posteriorius poculum sanguinem Christi exhibeat, à priori illud manifestè distinguit. 9. Tatiano & Ammonio aliorum Patrum dicta opponi possunt.

PRÆPARATIO ULTIMÆ COENÆ PASCHALIS EJUSDEMQUE CELEBRATIO CUM DISCIPULIS A CHRISTO INSTITUTA.

MATTH. 26.

17. τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἡμέρων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες αὐτῷ, πᾶς θέλεις ἐτοίμασθαι σοὶ φαγεῖν τὸ πάσχα;
 18. ὁ δὲ εἶπεν, ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν πρὸς τὸν δούλον, & ἐκπαίετε αὐτῷ. ὁ διδάσκαλος λέγει, ὁ κλη-

17. Ceterum primo die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes ei. Ubi, vis, paremus tibi ad edendum Pascha?
 18. At ille dixit. Ite in civitatem ad quandam & dicite ei, Magister dicite, tempus meum prop-

μα εγγυος εστιν, ωστε σε ποιω τω παρω με τ μαθητων με.

est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

- 19. και εποιησαν οι μαθηται ας συνεταξαν αυτοις ο ιησους και ηθιμασαν τω παρω.
20. Οψιας η γλυκυμης ανεικει με τ δωδεκα.

- 19. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus et paraverunt Pascha.
20. Vespere autem factio discumbebat cum duodecim.

MARC. 14.

- 12. και τη πρωτη ημερα των αζυμων, οτε τω παρω εθυον λεγουν αυτοι οι μαθηται αυτω, ωδ θελεις απελθοντες εθιμασωμεν, ινα φαγης τω παρω;
13. και αποκριθεις ελεγει αυτοις, υπαγετε εις τω πολιν και αποκτηθητε υμιν αυθραπ και κεραιμιοι υδατος βαρεζων ακολουθησατε αυτω.
14. και οπως εσθ εισελθη, επατε τω οικοδεσποτη, οτι ο διδασκαλος λεγει, ωδ εστι καταλυμα, οπως τω παρω με τ μαθητων με φαγω.
15. και αυτος υμιν δεξει αγωρον μεγα ερωμενον εθιμον, εκει εθιμασατε υμιν.
16. και εξηλθον οι μαθηται αυτω, και ηλθον εις τω πολιν. και ευρον, καθως ειπεν αυτοις, και ηθιμασαν τω παρω.
17. και οψιας γλυκυμης ερχετ με τ δωδεκα.

- 12. Ac primo die azymorum, cum Pascha immolarent, dicunt illi discipuli sui. Ubi vis, ut abeamus et pareremus ut edas Pascha?
13. Et emittit duos e discipulis suis et dicit illis. Ite in civitatem et occurret vobis homo hydriam aque bajulans, sequimini illum.
14. Et quocumq; ingressus fuerit, dicite Patrifamilias. Magister dicit. Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edam?
15. Et ille vobis ostendet triclinium magnum stratum, paratum: illic parate nobis.
16. Et exierunt discipuli ejus et venerunt in civitatem, et repererunt, quemadmodum dixerat illis, paraveruntq; Pascha.
17. Et cum vesperam jam esset, venit cum duodecim.

LUC. 22.

- 7. ηλθε η ημερα των αζυμων, εν η εδη θυοδου τω παρω.
8. και απεστειλε Πετρον και ιωαννην, ειπων, προδθεντες εθιμασατε ημιν τω παρω, ινα φαγωμεν.
9. οι η απαντησαν, οτι θελεις εθιμασωμεν;
10. ο η απαντησεν αυτοις, ιδε εισελθοντων υμων εις τω πολιν, αυωτηθη υμιν αυθραπ και κεραιμιοι υδατος βαρεζων, ακολουθησατε αυτω εις τω οικιαν, και εισαροσετ.
11. και ερωτε τω οικοδεσποτη τ οικιας, λεγει σοι ο διδασκαλος. Πδ εστι καταλυμα, οπως τω παρω με τ μαθητων με φαγω;
12. και αυτος υμιν δεξει αγωρον μεγα ερωμενον, εκει εθιμασατε.
13. απελθοντες η ευρον, καθως ειρηκεν αυτοις, και ηθιμασαν τω παρω.
14. και οτε εγγετο η ωρα απεπεσε, και οι δωδεκα αποστολοι παν αυτοι.
15. και ειπε ωτος αυτοις, Ιπθυμια επεθυμησα τατο τω παρω φαγειν μεθ υμων ωδ ε με παθειν.
16. λεγω υμιν, οτι ουκ εστι μη φαγω εξ αυτω εως οτι πληρωθη εν τη βασιλεια ε θεου.
17. και δεξαμενον ποτηριον, εχχαριστας ειπε, δαβετε τω και διμεμερισατε εαυτοις.
18. λεγω υμιν, οτι ουκ εστι μη πιω απο ε γλυκυμης τω αμπελε, εως οτι η βασιλεια ε θεου ελθη.

- 7. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha.
8. Et misit Petrum ad Johannem, dicens. Euntes preparate nobis Pascha, ut edamus.
9. At illi dixerunt ei. Ubi vis prepararemus?
10. Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret homo vas aquae testaceum portans, sequimini eum in domum in quam intrat.
11. Et dicetis patrifamilias adium, dicit tibi Magister. Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edam?
12. Et ipse ostendet vobis canaculum magnum stratum, ibi parate.
13. Euntes autem invenerunt, sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha.
14. Et cum jam esset tempestivum, accubuit ac duodecim Apostoli cum eo.
15. Et ait ad eos. Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum, antequam patiar.
16. Dico enim vobis: posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei.
17. Et accepto poculo gratias egit, ac dixit. Accipite hoc et dividite inter vos.
18. Dico enim vobis quod non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIE.

Matthæus & Marcus referunt, primo die azymorum Apostolos ad Christum accessisse, ipsiq; dixisse. Ubi vis prepararems tibi Pascha? ac tum demum Christum eos in urbem ablegasse cum certo mandato ac futuri eventus prædicatione. Lucas vero memorat, appetente jam primâ azymorum Christum, priorem Apostolis, & nominatim quidem Petro ac Johanni dixisse. Euntes preparate nobis Pascha, ut edamus; ac tum demum illos dixisse, ubi vis pareremus? inde Olander & alii ipsum secuti statuunt, Apostolos prius in genere conjunctim quæsi-visse, ubi vellet parari sibi Pascha, ut est apud Matthæum & Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

Marcum ac tum duobus ex numero Apostolorum peculiariter ad hoc delectis Christum dixisse, Euntes parate nobis, ac duos illos tum rursus quæsi-visse, ubi vis prepareremus? ut est apud Lucam. Posset hæc coagmentatio probari ex eo, 1. quod Christus jam ante die proximo ipsis dixerat. Scitis, quod post biduum Pascha futurum sit, verisimile igitur esse, quod hæc Christi verbis admoniti appetente jam prima azymorum die quæsi-verint, ubi vellet parari sibi Pascha, quod ipsum celebraturum hoc anno esse jam ante didicerant. 2. quod Matthæus dicit, discipulos ad Christum accessisse. Ergo non vocati, sed sponte ad



ad ipsum venisse videntur, quærentes ex ipso, ubi vellet Pascha præparari, antequam ad parandum certi quidam ex ipsorum numero fuerint ablegati. 3. Præbet hæc sententia utilem doctrinam, quod exemplo discipulorum operam suam Christo sponte offerentium & ex ipso quærentium, ubi vellet parari, antequam juberentur parare Pascha, ad obsequium Deo præstandum debeamus esse promptissimi, nec expectare, donec denuò de studio bonorum operum admoneamur, cum jam antè de Dei voluntate abunde nobis constet. Sed concinnior est Euthymii & aliorum sententia, quod Dominus prior admonuerit discipulos de præparando Paschate, ac tùm demum discipulos, duos scilicet illos, quibus Paschalis agni præparationem demandaverat, quævisse, ubi vis paremus tibi Pascha, ut est apud omnes tres Evangelistas. Nam 1. Lucas, qui post Matthæum & Marcum scripsit, est ordinis exactus observator, Luc. 1. v. 1. & 3. 2. Non videtur satis conveniens statuere, Christum bis à discipulis interrogatum fuisse, ubi vellet sibi parari Pascha, primum quidem à discipulis in genere, deinde à Petro & Johanne, in specie. Sed concinnius est, si juxta seriem à Luca monstratam semel duntaxat hæc quaestio à discipulis Pascha parare priùs jussis, videlicet à Petro & Johanne, Christo proposita statuatur. 3. Nec hoc satis convenienter dicitur, quod Christus interrogatus à discipulis, ubi vellet parari Pascha, subjecerit, *Euntes parate nobis Pascha & expectaritis, donec denuò quærent, ubi vis paremus?* Quia enim operam suam ad parandum Pascha sponte deferebant, ac tantum de certo hospitio informari cupiebant, ideo non satis commodè à Christo fuisset subjectum. *Euntes parate nobis Pascha, sed locus denominandus statim fuisset.* 4. Quamvis Christus jam antè discipulos suos admonuerat, post biduum fore Pascha, tamen cum dies azymorum in proximo esset, ipsos denuò de Paschatis præparatione monere voluit, vel quia obliterati erant prioris admonitionis, vel ut occasionem haberet divinæ suæ omniscientiæ ac omnipotentia specimem edendi in denominatione hospitii ac futuri eventus prædictione, atque hac ratione contra scan-

dalum crucis ipso munienti. Ac si vel maximè statuere velimus, Apostolos priores ex Christo quævisse, ubi vellet parari sibi Pascha, quaestioni tamen illi ex Luca subjiciendum foret mandatum Christi Petro & Johanni datum. *Euntes præparate nobis Pascha, ut edamus*, cum illi eam in rem unà cum reliquis Apostolis jam antè operam suam obtulissent, quod non est satis congruum. 5. Matthæo solenne est dicere, Apostolos ad Christum accessisse, quando vocati ad Christum venerunt. Sic cap. 5. vers. 1. dicit ad Jesum in monte sedentem discipulos accessisse, cum tamen constet ex Marc. 3. v. 13. & Luc. 6. v. 13. quod Christus eos ad se vocaverit. Item cap. 18. v. 1. dicit, accessisse discipulos ad Dominum dicentes. *Quis putas major est in regno caelorum?* cum tamen ex Marc. 9. v. 35. manifestum sit, illos non nisi à Christo vocatos accessisse. 6. Pari ratione, quod in genere dicit, discipulos à Christo quævisse, ubi vellet parari sibi Pascha, cum tamen duotantum, videlicet Petrus & Johannes quæviserint, ut ex Marco & Luca constat, illud itidem pro more suo facit. Sic cap. 24. vers. 3. ad CHRISTUM in monte oliveti sedentem discipulos accessisse dicit, cum constet ex Marco cap. 12. v. 3. quatuor duntaxat discipulos, Petrum scilicet, Jacobum, Jolianem & Andream ad ipsum accessisse. 7. Desiderio Christi, de quo ipse testatur Luc. 22. v. 15. ac timiditati discipulorum Joh. 11. v. 8. & 18. magis convenit statuere, quod Christus prior discipulis dixerit: *Euntes parate nobis Pascha*, antequam discipuli illius mentionem facerent. 8. Præbet etiam hæc sententia utilem doctrinam, quod præveniat nos Deus suâ gratiâ in omni opere bono, imò in omni cogitatione bona. 2. Corinth. 3. vers. 5. quod propter Naturæ nostræ corruptionem ad bonum præstandum simus remissi ac somnolenti ac proinde necessarium sit, ut Deus nos admoneat, excitet, imò ad se trahat, si ad Christum venire debeamus Joh. 6. v. 44. quod non solum necessarium sit, ut Christus de modo bene operandi nos instruat, sed etiam ut aliquoties per verbum suum ad studium bene operandi hortetur & instiget.

Exegesis Historia de preparatione ultima Coena Paschalis, ejusdemque celebratione,

ἦλθε ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ἣ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρῃ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθνον, ἀπέστρεψε Πέτρον καὶ ἰωάννην, εἰπὼν, πορεύθεντες ἐτοιμάσατε ἡμῖν τὸ πάσχα, ἵνα φάγωμεν. ἀπεκρίθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτῷ λέγοντες (καὶ λέγουσιν, εἶπεν) αὐτῷ (τῷ Ἰησοῦ) πῶς θέλεις ἀπελθόντες ἐτοιμάσωμεν σοὶ φαγεῖν (ἵνα φάγῃς) τὸ πάσχα; ὁ δὲ (καὶ) ἔδωκεν αὐτοῖς δύο τῶν μαθητῶν αὐτῷ, καὶ λέγει (εἶπεν) αὐτοῖς ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν, ὅπου ἔστιν ὁ ἀσπυρθεὶς, καὶ ἰδὲ εἰσελθόντων ὑμῶν εἰς τὴν πόλιν, συναντήσῃ (ἀπαντήσῃ) ὑμῖν ἀνδρῶσπιον κερραμίον ὕδατι βαζυλίων, ἀκολουθήσατε αὐτῷ εἰς τὴν οἰκίαν, ἣ ἐσπυρθεῖς, καὶ ὅπου ἐὰν εἰσελθῇ, εἰπάτε (εἰρήτε) αὐτῷ τῶ οἰκοδεσποτῇ τῆ οἰκίας ὅτι ὁ διδάσκαλος λέγει σοι, ὁ κενὸς μὲν, ἐγγύς ἐστι πρὸς σε ποιῶ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου, πῶς ἐστὶ τὸ κατὰλυμα, ὅπως τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μὲν φάγω.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha. At (ceterum) primo die azymorum, cum Pascha immolarent, misit Petrum ac Johannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut edamus. Accesserunt autem discipuli sui dicentes (& dicunt, dixerunt) illi (ad Jesum) Ubi, vis, ut abeamus & paremus (preparemus) tibi ad edendum (ut edas) Pascha? At ille (&) emittit duos de discipulis suis & dicit (dixit) illis. Ite in civitatem ad quandam & ecce introcumbus vobis in civitatem occurret vobis homo hydriam (vas testaceum) aque portans (bajulans) sequimini illum (eum) in domum in quam intret, & quocumque ingressus fuerit, dicite (dicetis) ei Patrisfamilias adium. Magister dicit tibi, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis, ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edamus.

καὶ αὐτὸς (καὶ αὐτὸς) ὑμῖν δεῖξαι ἀνάσσει μὲν ἐρωμέ-
νοι ἐπιμοῖν, ἐκεί ἐπομάσσει ἡμῖν. καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ
ἐβλήθη καὶ ἤλθον εἰς τὴν πόλιν καὶ ἀπελθόντες εὐρον,
καθὼς εἶπεν (εἰρηκεν) αὐτοῖς καὶ ἐποίησαν ὡς συνέταξεν
αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς καὶ ἠθέμισαν τὸ πάχος. (καὶ) οἰψίας
ἡ γιοιδὸς ἐρχεται μὴ τὴν δώδεκα, καὶ ὅτε ἐβήτο ἡ
αἶρα ἀέκειβ (ἀνέπεσε) καὶ οἱ δώδεκα δόξοιλοι σὺ
αὐτῶν. (μὴ τὴν δώδεκα.) καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, ὅτι οὐ-
μίαι ἐπεθύμησαι τὸ ἔθ' ὅ πάχος. Φαγὰν μεθ' ὑμῶν πρὸς
ἡμετέρας. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ἐκεῖ ἐ μὴ Φάγω ἐξ
αὐτῶ εὐς ὅτε παρρωθῆ ἐν βασιλείᾳ ἡ Ἰησ. καὶ δεῖξά-
μιον πῶς ἐμεν, ὅχαρῆσαις εἶπε, λάθετε τὰτο καὶ
ἀλαμελατε ἐαυτοῖς. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ἐ μὴ πῶς δόξο
ἡ Ἰησοῦς καὶ ἀμπέλαι, εὐς ὅτε ἡ βασιλεία ἡ Ἰησ
ἐβή.

Et ille (Et ipse) vobis ostendet conaculum (triclinium) magnum situm, ibi paratum, illic (ibi) parate vobis. Et discipuli ejus exierunt, et venerunt in civitatem, et euntes invenerunt, sicut (quemadmodum) dixerat illis, et fecerunt sicut constituit illis Iesus et paraverunt Pascha. Vespere autem facto (Et cum vespera jam esset) venit cum duodecim, et cum jam esset tempestivum, discumbebat (accubuit) ac duodecim apostoli cum eo (cum duodecim.) Et ait ad eos. Desidero desideravi hoc Pascha comedere vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis: posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei. Et accepto populo gratias egit, ac dixit. Accipite hoc et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.

Exegesis hujus Historia.

DE Samuele Propheta Domini commemoratur 1. Sam. 10. v. 2. & seqq. quod postquam Saulem in Regem populi Israelitici unxerat, atque a se ad patrias aedes remiserat, instinctu divino futuros & absconditos rerum eventus ipsi prædixit, utpote primò, quod juxta sepulchrum Rachel in termino Benjamin in Selsach inventurus sit duos homines nunciantes ipsi a sinas patris sui, quas quaesitum ierat, esse inventas v. 2. Deinde quod paululum ex eo loco progressus circa Elon Tabor reperitur sit tres viros ascendentes ad Deum Bethel; quorum unus portaturus sit tres hodos, alter tres tortas panis, tertius utrem vini, qui præmissa salute sponte ipsi oblaturi sint panes duos v. 3. & 4. Tertio quod venienti ad collem Dei, in quo sunt Praesides Pelistim in ipso urbis ingressu obviam ei sit occursum chorus Prophetarum descendentiū de Bamab, cum lyra, tympano, tibia & citra prophetantium, cum quibus ipse quoque impulsu superveniētis Spiritus Sancti sit prophetaturus v. 5. & 6. quæ prædictiones omnes eventu ipso paulò post sunt confirmatæ. Ecce plus quàm Samuel hoc loco! videlicet Samuelis & omnium Prophetarum Dominus Christus Jesus, de quo omnes Propheta à Samuele & qui deinceps fuerunt, vaticinati sunt. Act. 3. v. 23. Is Apostolis suis, quos spirituales Reges exercituum fecerat Pl. 68. v. 13. hoc est, quibus verbum Evangelii, quod est sceptrum regni sui Plal. 2. v. 9. Psal. 110. v. 2. in toto terrarum orbe prædicandum commendaverat, Hierosolymam ad parandum Pascha à se ablegatis itidem futuros rerum eventus prædicit, videlicet quòd introeuntibus ipsis in civitatem occursum sit homo hydriam aquæ portans, quem si sequantur, perventuri sint ad aedes patris familias cujusdam, qui de concedendo ad Paschatis celebrationem hospitio amicè compellatus conaculum magnum litratum & paratum ipsis spontè sit ostensurus, quam prædictionem consequens eventus itidem certissimè fide comprobavit. Finis ac scopus, propter quem Samuel Sauli in Regem noviter electo talia prædicerè voluit, fuit confirmatio fidei, quod scilicet certus esse debeat, se non arbitrio humano, sed Dei voluntate in Regem esse electum, sibi que omnia prospere esse successura, si in sancto ergo Deum obsequio constans persistit. Pari ratione Christus hac sua prædictione fidem discipulorum confirmare & contra crucis scandalum ipsos munire voluit, quòd scilicet certi esse debeant, nihil humano arbitrio, sed Dei consilio omnia circa Christi

ftum geri, ipsi nec inficio nec invito quidquam obtingere ac prosperè successura omnia, quæ tùm ipse immediatè, tùm per manus Apostolorum sese peracturum promiserat. Quemadmodum ergo Saul non mediocriter in fide fuit confirmatus, quando vidit, eventum prædictioni exactè responderè, cum primis verò duos panes ab homine ignoto sibi sponte offerri: ita quoque Apostolis ad fidei confirmationem non mediocriter profuit, quod viderunt omnia ita evenire, prout Christus prædixerat, & ignotum illum patrem familias hospitium & omnia ad Pascha celebrandum necessaria tam promptè sibi concedere. Quemadmodum Samuel promittit Sauli, quod completis prædictis illis signis ad ipsum perventurus sit in Galgala, quò ante ipsum descendere debeat, ad offerendam oblationem & immolandas victimas v. 8. ita quoque Christus Apostolis suis promissit, quòd Hierosolymam, quò ante ipsum abire debeant, circa vesperam ad ipsos venturus sit ad immolandum & manducandum Paschalem victimam. Discrimen tamen in eo est, quòd Samuel non nisi ex divina revelatione futuros illos eventus Sauli prædixit, erat enim Propbeta Domini; Christus verò ex divina omniscientia secundum Deitatem essentialiter sibi propria & secundum assumptam humanitatem personaliter sibi communicata Apostolis suis talia prædixit, erat enim Propbeta Dominus, cui non erat opus, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine Joh. 2. v. 25. qui noverat & adhuc hodie novit omnia Joh. 2. v. 17. in quo thesauri scientiæ & sapientiæ sunt absconditi Col. 3. v. 3. De hac divina Christi prædictione agitur in præsentate pericope, cujus partes sunt duæ. 1. Paschatis præparatio. 2. Preparati celebratio.

Circa preparationem Paschatis occurrunt duo principalia membra 1. Christi de præparando Paschate mandatum ac monitum. 2. Promtum discipulorum obsequium. Mandatum Christi duplex est 1. generale quòd Pascha præparare debeant. 2. speciale, quòd Hierosolymam abire & in aedibus illius patri familias, quem ex certis indicis ipsis describit, præparationem illam peragere debeant. In mandato generali describitur 1. Tempus. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha. Caterum primo die azymorum, cum Pascha immolarent, misit &c. De azymorum appellatione, inchoatione, duratione ac significatione diximus superius cap. 166. ac in ratione ordinis ostendimus, quæ de præparatione

tione

tione Paschatis h.l. ab Evangelistis commemorantur, contigisse feriâ quinta die ante passionem & mortem Christi proximo, hoc loco potentissimum expendendum venit illud quâ ratione primo die azymorum dicantur discipuli à Christo ad præparandum Pascha ablegati, cum tamen dies Paschatis & dies primus azymorum juxta legis divinæ dispositionem uno eodemque tempore, videlicet circa vespere diei decimæ quartæ mensis primi inceperint, Ex. 12. v. 18. Levit. 23. v. 5. Quod si enim dies Paschatis cum primo azymorum die simul incipiens jam præstò iuit, quomodo convenit seriei Historiæ & dispositioni legis divinæ, Christum tum demum discipulos suos ad præparandum Pascha ablegare, cum dies Paschatis jam venisset ac coena Paschalis non amplius præparanda, sed celebranda esset? Adde, quod notanter dicunt Evangelistæ, Christum circa vespere illius diei, quo hæc discipulis suis dixit, cum iisdem discubuisse. Ergo quando hæc dicebat nondum aderat dies Paschæ vel primus azymorum. Quidam respondent, primam azymorum vocari diem, quæ proximè præcedit primam azymorum ac verbum ἡλθε venit exponendum esse per ἐπλησίασε appropinquavit. Chrysof. homil. 82. in Math. statim in princ. *Primam azymorum τὴν πρῶτην ἀζύμων vocat. Sc.* quinta enim Sabbati (h.e. feriâ quintâ septimanæ, quam Judæi Sabbata vel Sabbatum vocant Luc. 18, vers. 11.), accesserunt, quam Evangelista primam azymorum, id est, ante Sabbatam vocat, tempus designans. Alius autem (Lucas scilicet) venit, inquit, dies azymorum, in qua oportebat immolari Pascha, ubi illud ἡλθε significat ἐγγύς ἢ πληθύνει ἢ Chrysof. vestigiis ut in aliis, ita quoque hac in parte insitit Euthymius in c. 26. Matt. & in cap. 22. Luc. ac monet discrimen esse inter ἐγγύς ἢ ἐπληθύνει, illud enim denotare tempus remotius, hoc verò propinquius, quò accommodat, quod Lucas dicit, Principes Sacerdotum de Christo interficiendo consultasse & cum Juda pactum prodicionis iniisse, quando ἐγγύς festum azymorum, Pascha dictum, quod factum fuit feriâ quartâ Christum, autem discipulos ad parandum Pascha ablegasse, quando ἡλθε hoc est, ἐπλησίασε dies azymorum, quod factum fuit feriâ quintâ. Luc. 21. vers. 1. & 7. Confirmari posset hæc expositio ex eo, quòd Johannes c. 13. v. 1. lotionem pedum, quæ præparationem agni Paschalis secuta est, factam dicit πρὸ τῆς ἑορτῆς τῆ πάσχα. At si lotio pedum facta est ante diem festum Paschatos, utique etiam præparatio agni Paschalis facta est ante diem festum Paschatis, ac proinde etiam ante diem primum azymorum, quippe cum die Paschatos uno eodemque tempore incipiebat & per consequens, quod hoc loco mandatum de agni Paschalis præparatione primâ azymorum Apostolis datum dicitur, sic intelligendum erit, quod ante primum diem azymorum ipsis datum sit, vel quod idem est, cum dies azymorum jam proximè immineret. Sed quia Matthæus & Marcus non dicunt, πρὸ τῶν ἀζύμων, sed τῇ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, & quia Lucas non dicit, ἐγγύς ἢ ἐπληθύνει, sed ἡλθε ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ideo concinnior est Augustini sententia Epist. 86. ad Casulanum, quòd cum hæc contigerint feriâ quintâ post Dominicam Palmarum, tamen dicantur contigisse primo die azymorum, quia circa vespere illius diei incipiebat primus dies azymorum, sive

quod idem est dies Paschatos, in quo Paschalis coena juxta divinæ legis constitutionem erit celebranda. Quod ut sit manifestius, notandum est, Judæos duplici modo dies numerare consuevisse, Ecclesiasticè scilicet & politicè (quemadmodum etiam duplex anni initium habebant. Ecclesiasticum in mense Nisan, qui nostro ferè Martio respondet; politicum in mense Thifri, qui nostro ferè Septembri respondet) Secundum computationem Ecclesiasticam ac dispositionem legis divinæ in celebratione festorum observandam dies festi incipiebant à vespere Lev. 23. vers. 32. sed juxta computationem civilem in vita communi observari solitam dies naturalis incipiebat à mediâ nocte, ut sic vespera sequens esset pars, videlicet clausula, diei præcedentis, cum juxta priorem sive Ecclesiasticam computationem esset pars, videlicet initium, diei sequentis, ut monimus itidem superius in cap. 166. Quatenus igitur vespera feriæ quintæ juxta civilem computationem referebatur ad diem præcedentem, cui clausulam addebat, eatenus feria quinta, in quam illo anno dies 14. Mensis Nisan ac proinde etiam dies Paschatis incidebat, vocabatur primus dies azymorum, quatenus verò eadem vespera feriæ quintæ juxta Ecclesiasticam computationem referebatur ad diem sequentem, cui initium præbebat, eatenus feria sexta, in quam illo anno dies 15. mensis Nisan incidebat, dicebatur primus dies azymorum, ex quo fundamento conciliandum illud οὐλοφωδὲς, die decimâ quartâ mensis primi ad vespere comedite azyma Exod. 12. v. 18. & die decima quinta mensis primi solemnitas azymorum est. Levit. 23. v. 6. Sic Josephus libr. 3. de bello cap. 10. dicit festum azymorum per septem dies celebrari, sed lib. 2. cap. 5. dicit, octo esse azymorum dies. Nimirum quia vespera diei festi in Scriptura modò attribuitur diei antecedenti juxta computationem civilem, modò festo diei subsequenti juxta computationem Ecclesiasticam. Diverfitatem illam inter computationem diei Ecclesiasticam & politicam quidam originem traxisse putant ex eo, quod populus Israeliticus temporibus Christi in terris docentis erant sub jugo Romanorum & in medio eorum conversabantur, jam verò Romani vesperam non sequenti, sed præcedenti conjungere solebant, quia diem naturalem seu τὸ νοχθημερον apud ipsos incipiebat mediâ nocte, teste Gellio libr. 3. Noct. Attic. cap. 2. Ergo etiam Judæi eorum, inter quos vivebant, morem secuti, juxta civilem computationem vesperam ad diem præcedentem referebant, cum tamen juxta legis dispositionem ad sequentem diem esset referenda. Sed cum vestigia hujus diverfitatis inter computationem diei civilem & Ecclesiasticam in ipsa lege Mosaica occurrant, uti modò ostendimus, ideò etiam majoribus Judæorum eadem nota & usitata fuisse rectius statuitur. Quòd si enim tempore Mosis Israelitæ etiam in vita communi & juxta civilem computationem initium diei fecerunt à vespere, secuti hac in parte seriem in hexaëmero creationis annotatam, in qua ex vespere & mane dicitur factus dies primus, secundus, tertius, &c. Genes. 1. vers. 5. 8. & 13. atque à Romanis primum acceperunt consuetudinem inchoandi diem à mediâ nocte, quæ multorum est opinio, quorsum opus fuisset, peculiari lege disponere, ut à vespere Sabbati ac festorum initium facerent? Lev. 23.

vit. 23. v. 32. Quid quod illa ipsa legis dispositione manifesto indicio apparet, aliam tum temporis in vita communi fuisse receptam computationem, quam quæ per novam illam dispositionem in festis diebus observandam introducit. Nam v. 27. dicit Dominus. *Decimo die hujus mensis septimicrit dies expiationum celeberrimus, affligetis animas vestras in eo &c.* & mox subjungitur vers. 32. *affligetis animas vestras die nono mensis septimi.* Hæc diversitas non potest aliter conciliari, quam distinctione inter computationem civilem, juxta quam vespere illa, in qua dies expiationum initium sumebat, referebatur ad diem nonum, quem clauderat & inter computationem Ecclesiasticam, juxta quam eadem vespera referebatur ad diem decimum, cui initium præbebat, unde *αιτιολογικως* statim subjicitur, *à vespera ad vesperam observabitis Sabbatum vestrum.* Manifestum igitur est, duplex diei genus Judæis jam inde à Mosis temporibus usitatum fuisse, videlicet diem legalem à vespera ad vesperam, & diem usualem à media nocte ad mediam noctem, cui etiam addi potest tertium genus, videlicet dies naturalis, qui ab ortu Solis accipit initium, ac proinde, quando Evangelistæ hoc loco primâ die azymorum ea contigisse dicunt, quæ contigerunt circa meridiem, vel ut Theophylactus mavult, mane illius diei, in cujus vespera juxta legis dispositionem incipiebat primus dies azymorum, tum loquuntur juxta computationem civilem & quodammodo synecdochicè, vocantes illum diem civilem, sive usualem primum azymorum, à cujus vespera incipiebat primus azymorum, quia primus azymorum incipiebat cum extremo quadrante illius diei civilis, qui exinde *συνεκδοχικως* denominatione totius à parte quadam factâ vocatur primus azymorum dies. Potest collationis gratiâ huc referri, quod dies proximè præcedens festum vel Sabbatum dicitur pasceve festi vel Sabbati, cum tamen pasceve illa propriè loquendo ab hora demum nona diei proximè præcedentis initium sumeret, ut intelligitur ex edicto Imp. Augusti pro Judæis ad Provinciâ Præfides apud Josephum libr. 16. antiq. cap. 10. in quo inter cætera sic habetur. *Neque Judeos cogi ad præstanda vadimonia Sabbatis aut pridie Sabbatorum post horam nonam in pasceve, & que hanc denominationem pasceves imitatur Johannes, quando dicit cap. 19. vers. 14. Erat pasceve Pasche hora quasi sexta, & dicit Judæis (Pilatus) Ecce Rex vester, cum tamen pasceve propriè dicta horâ demum nonâ illius diei inciperet. Pariratione etiam hoc loco dicant Evangelistæ, fuisse primum azymorum ac venisse primam azymorum, quando Christus emisit discipulos ad parandum Pascha, cum tamen à vespera illius diei eadem demum inceperit. Summa igitur eò redit, quod primo die azymorum, hoc est, die decimâ quarta, primi mensis Nisan, die scilicet Jovis, ut loquuntur gentiles, quintâ Sabbati, ut loquuntur Judæi, feriâ quintâ ut loquuntur Christiani, cujus vespera primo diei azymorum initium dabat, Christus discipulos ablegaverit ad parandum Pascha. Ex quo etiam intelligitur, quod aoristus *ἤλθε* haud incommodè exponi possit per plusquam perfectum, *venerat dies azymorum*, videlicet primus ex illis septem, quibus azyma erant comedenda, ut Matthæus & Marcus exponunt. Copulativa *καὶ* apud Marcum ponitur*

pro adversativa *δέ* ut intelligitur ex Matth. Per *τῆν πρώτην τῶν ἀζύμων* apud Matthæum significatur primus dies azymorum, ut intelligitur ex Marco & Luca, tot enim substantiva hic subintelligenda, quot sunt articuli, ac si integrè scriptum esset *τῆ πρώτη ἡμέρα τῶν ἀρτων ἀζύμων* primo die panum fermentatorum, nisi per *τῶν ἀζύμων* malimus festum ab esu panum fermentatorum indefinitè dictum accipere, quo modo exponere videtur Lucas cap. 22. vers. 1. *Appropinquabat ἡ εὐροτή τῶν ἀζύμων ἢ λεγόμενῃ πάχα.* Cæterum quâ dere azymorum esus agno Paschali conjungendus Israelitas olim admonuerit, atque adhuc hodie mysticè nos admonere debeat, de eo egimus superius cap. 106. hoc loco notandum, quod Israelitæ Pascha suum *ex motu Lunæ* celebrarint, quia Luna 14. primi mensis illud celebrarunt, sed nos Christiani *ex solis motu* Pascha nostrum celebramus, die sc. Dominicâ, quâ Christus ex morte resurrexit, quæ in diem Solis semper incidit. Nimirum ut Luna 1. men obscurius est lumine Solis, ita Israelitarum Pascha non tam solenne ac clarum fuit, quàm est nostrum. Ut Luna à Sole lumen accipit, ita significatio mystica Judaici Paschatos à nostro Paschate lumen fortitur.

2. *Causa impulsiva.* Venit dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha, ac primo die cum immolare Pascha, misit Petrum ac Johannem. *περοδιρισμός* ille, *ὅτε τὸ πάχα ἔθου & ἐν ἡ εὐροτὶ τὸ πάχα* non tantum pertinet ad descriptionem temporis sensu eò, quod primo die azymorum soliti fuerint juxta legis divinæ ordinationem Pascha immolare, sed simul exprimit causam impulsivam, quæ Christum permoverit, ut feriâ quintâ discipulis mandatum daret de Paschate præparando, nimirum quia circa vesperam illius diei juxta mandatum Dei Pascha erat celebrandum. Judæi in diem sequentem illud rejecerant secuti hac in parte majorum suorum traditiones, ut superius etiam monuimus sed Christus legis divinæ dispositionem potius sequi maluit, quàm Judæorum traditiones, tum ut perfectam legi obedientiam propter nos & nostram salutem præstaret, tum ut suo exemplo ostenderet, in administratione Sacramentorum, quæ sunt præcipua pars divini cultus, adeoque in toto cultu divino non ad humanas traditiones, sed ad divinam institutionem unicè esse respiciendum, ac proinde consuetudines contra legem Dei in Sacramentorum administratione & cultus divini exercitio introductas à fidelibus Ecclesiæ doctoribus & piis Magistratibus esse abrogandas ac juxta normam divinæ legis reformationem divini cultus esse instituendam. Quia verò Judæi Paschatos celebrationem in diem sequentem rejecerant, mirum alicui videri posset, quare & quo sensu dicat Marcus, *primo die azymorum, cum Pascha immolarent*, neque enim eodem die, quo Christi discipuli Pascha præparare jubebantur, illud immolabant, sed die demum sequente. 1. Quidam illud exponunt de antiquis Judæis, qui ante receptam Judaici Paschatos translationem vixerant ac tempore divinitus constituto Pascha celebrarunt, cui expositioni inservire posset, quod Syrus paraphrastes addit nomen *מורי* quando Judæi immolabant Pascha. 2. Quidam de Christo & discipulis exponunt, quod illi die divinitus constituto nullâ traditionis contrariæ ratione habitâ Pascha celebrarint

cebrarint. 3. Quidam monent, verisimile esse, quod inter tot sectas ac dissensiones populi Judaici diversitas quædam in Paschatis die occurrit, quibusdam legis præscriptum, quibusdam majorum traditiones sequentibus, ac de prioribus Evangelistam hic loqui. 4. Quidam verba Marci sic accipiendi esse dicunt, quod eâ die, quæ vocabatur *prima azymorum*, omnes immolaverint Pascha. Quamquam enim in prima die azymorum Christus & discipuli ejus à Judæis variarent, in eo tamen omnes conveniebant, ut die, quam primam azymorum habebant, Pascha sibi immolandum esse seirent. Senlum igitur esse eum, *ore*, hoc est, in quali die, immolabant Pascha. 5. Simplicissima explicatio petitur ex collatione Marci & Lucæ. Quod enim Marcus dicit, *primo die azymorum, cum Pascha immolarent*, illud Lucas sic exponit, *venit dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha*; videlicet ex præscripto legis, quod obligationis necessitatem inducit. Usitatum enim est apud Hebræos, verba activa non tam actum quam debitum & officium significare, ubi verba illa per deo & per infinitivum sunt exponenda. Sic Genes. 20. v. 9. Levit. 4. vers. 2. *qua non fiunt*, id est, fieri non debent. 2. Regum. 3. v. 37. *accepit filium, qui pro se regnabat*, id est, regnare debeat. Psal. 32. v. 9. *docebo te viam, quam ibis*, id est, ire debes. Sic Matt. 26. v. 52. *Qui gladium accepit, gladio peribit*, id est, debet perire. Luc. 7. vers. 42. *quis plus diligit*, id est, debet diligere. Hebr. 5. vers. 4. *Nemo sibi sumit honorem*, id est, debet sumere. cap. 13. v. 17. *vigilant pro animabus vestris*, id est, debent vigilare. Ita quoque hoc loco, *cum Pascha immolarent*, id est, immolare deberent. 6. Potest etiam addi illud, quod respectus habeatur ad vulgatam aliorum annorum consuetudinem, sensu eo, *cum Pascha immolarent*, id est, immolare solerent, sicut Marc. 15. v. 6. dicitur, *preses dimittebat illis vinculum*, quod vulgata versio rectè reddit, *dimittere solebat*. Respicit ergo Evangelista partim (& quidem principaliter) divinæ legis dispositionem, partim verò aliorum annorum consuetudinem, quod frequentius à Judæis etiam ipsis fieri solebat. Neque enim locus erat illi traditioni de translatione Paschatis in diem proximum, nisi Paschatis dies *in feriâ secundam, quartam vel sextam* incideret, ut apparet ex verbis traditionis ex libro Sedar Olam superius citatis. Cæterum quia & Marcus & Lucas de Paschate, i.e. agno Paschali utuntur verbo *ἄρνιον* & *ἀρνίον* ex eo multi colligunt, agnum Paschalem fuisse sacrificium propriè sic dictum, cum *ἄρνιον* propriè significet *sacrificare*, ut exempla apud Plutarchum, Xenophontem, Thucydidem & alios ostendunt, ac notum est *ἄρνιον* actionem sacrificandi *ἄρνιον* victimam, illud ipsum quod sacrificatur, significare. Atque in hac significatione verbum *ἄρνιον* non solum à LXX. Interpp. in V. sed etiam ab Apostolis in N. T. usurpatur Actor. 14. v. 13. & 18. 1. Corinth. 10. v. 20. Potest hæc sententia, quod agnus Paschalis fuerit propriè dictum sacrificium, confirmari etiam aliis argumentis. 1. Exod. 12. v. 27. agnus Paschalis appellatur *זֶבֶח* (*sacrificium*). 2. Syrus apud Marcum hoc loco habet verbum *כֹּרְבָח* formatum ex Hebræorum *כֹּרְבָח* quod est *sacrificare*. 3. Num. 9. v. 6. *Qui immundi erant, non poterant facere Pascha in illa die*, nimirum quia immundis prohibitum erat offerre sacrifi-

cia Lev. 7. v. 19. Ergo Pascha numeratur inter sacrificia. 4. Num. 9. v. 7. dicunt ad Mosen & Aaronem. *Cur prohibemur offerre זֶבֶח* oblationem nostram Domino? Ergo Paschalis agnus fuit oblatio Deo adducta. 5. Apostolus de Christo in arca crucis seipsum Deo in sacrificium offerente sic loquitur 1. Cor. 5. v. 7. *τοῦ πάσχα ἡ μὴ μὴν ὑπερ ἡ μὴν ἐτύθη* *ἡ ἡγίασθαι*. At si agnus Paschalis non fuisset sacrificium, quomodo sacrificii Christi typus esse potuisset, cum tamen hic typus in Christo in arca crucis pendente sit impletus? Joh. 19. v. 36. Hebr. 11. v. 28. Hanc sententiam cupide amplectuntur Pontificii & ex ea inferunt, cupidè modum agnus Paschalis fuit simul sacrificium & Sacramentum: ita quoque Eucharistiam simul esse sacrificium, incruentum scilicet, ac Sacramentum. Bellarm. libr. 1. de Missa cap. 7. Pistor. in hodeget. p. 395. & c. Sed rectius dicitur, agnum Paschalem non fuisse sacrificium propriè sic dictum. Nam 1. proprium & essentialia sacrificii est, quod vel totum vel certè pars quædam ex illo Deo fuerit oblata atque igne sacro absumta, ac proinde non omnis mactatio infer vitam, sed ea demum, quæ cum combustione conjuncta. Jam verò de agno Paschali nihil fuit Deo oblatum vel igne consumtum, sed totus fuit assatus & manducatus. Quidam ex 2. Paral. 35. v. 11. regeunt, quod sanguis agni Paschalis à Sacerdotibus templo fuerit illatus, inque altari sparsus & Domino oblatus, sed ex contextu manifestum est, hoc accipiendum non de agno Paschali, sed de sacrificiis Paschalibus agno Paschali conjunctis, de quibus postea dicitur. 2. Sacrificia propriè sic dicta offerbantur à solis Sacerdotibus. Agnus Paschalis non à solis Sacerdotibus, sed à quibusvis patribus familias mactabatur. Ex. 12. v. 3. Quamvis verò constituto postmodum Levitico Sacerdotio agni Paschales Levitis adducerentur, & ab illis mactarentur 2. Paral. 30. v. 16. cap. 35. v. 11. unde notum fuit Sacerdotibus, quot agni singulis Paschali immolarentur. Jos. lib. 7. de bello Jud. cap. 12. illud tamen non fuit hoc sine factum, ut agnus Paschalis à Sacerdotibus sacrificaretur, sed ut agni Paschales numerarentur ac inquireretur, an qualitates divinitus requisitæ in eo locum haberent. Nec fuisse vel perpetuum vel necessarium, ut à Sacerdotibus fieret mactatio, ostendit locus apud Philonem lib. 3. de vit. Mosis circa finem. *Ejus mensis*, inquit, *die quartâ decimâ sub ipsum tempus, quo Luna suum orbem solet implere lumine, celebratur migrationis publicæ festivitas, quam, Chaldaice Pascha nominant, quo tempore, non ut aliàs, plebei homines victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus, sed jubente lege tota gens sacrificat dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus, tunc universo populo celebrante latas epulas, quisque se gerit pro Sacerdote, & in lib. de Decalog. Pascha populariter singuli sacrificant non expectatis Sacerdotibus, ipsi permisso legis hæc fungentes Sacerdotio. 3. Sacrificia propriè sic dicta ad altare Domini mactabantur. Agnus Paschalis per familias & in domibus mactabatur. 4. Sacrificium propriè dictum & Sacramentum differunt formaliter. In sacrificio homines Deo aliquid offerunt; in Sacramento Deus hominibus aliquid offert. Jam verò agnus Paschalis fuit Sacramentum. Ergo non sacrificium propriè sic dictum. 5. Nullum sacrificium fieri poterat in Egypto propter abominationes Egyptiorum. Exod. 8. v. 26. Agnus Paschalis fuit legitime mactatus & manducatus*

catus in Ægypto. Ergo non fuit sacrificium propriè dictum. Argumentis in contrarium adductis satisfieri potest per sequentes hypothesas. 1. Agnus Paschalis non quidem fuit sacrificium propriè dictum interim tamen hoc commune habuit cum sacrificiis, quod in eo fuit facta mactatio religiosa agni, quodq; in eo locum habuit typica significatio adumbrans Christi immolationem. Dicitur ergo sacrificium, quia mactabatur non ad usum vulgarem, sed sanctum & peculiarem, videlicet ut esset Sacramentum & figura sacrificii Christi. 2. Mactationi agni Paschalis ejusq; manducationi peculiaris quædam sacrificia præter illa vulgaria & quotidiana erant conjuncta Num. 28. v. 19. Lev. 23. v. 8. Deut. 16. v. 2. 2 Par. 23. v. 11. interim discrimen erat inter *agnos Paschales & sacrificia Paschalia*. Agni Paschales erant ex agnis vel hœdis Ex. 12. v. 5. sacrificia Paschalia fumebantur ex ovibus & bobus, ut patet ex citatis locis. Agni Paschales propriè loquendo non immolabantur, sed mactabantur à patribus familias in domibus Ex. 12. v. 3. Sacrificia Paschalia immolabantur tantummodò à Sacerdotibus in loco, quem elegerit Dominus, ut habitaret tibi nomen ejus. Agni Paschales inter duas vespas unius diei, videlicet decimæ quartæ mensis primi mactabantur & comedebantur; sed sacrificia paschalia per septem continuos dies offeriebantur. Pascha intra privatas ædes perficiebatur, ut ex hac ipsa pericope constat, sed sacrificia tantum in publico fiebant. 3. Verbum *חָדַשׁ* & *חֶסֶד* est generale, significans quamvis mactationem, sive fiat ad sacrificium, sive ad esum, eumque vel religiosum vel communem. Matth. 22. v. 4. Luc. 15. v. 23. & 27. Joh. 10. v. 10. Act. 10. v. 13. Idem judicium esto de verbo *כָּרַח*, quod itidem sit generale, significans occidit, mactavit, jugulavit pecudem ad convivium vel sacrificium Gen. 31. v. 54. Deut. 28. v. 31. 1. Sam. 28. v. 24. 1. Reg. 19. v. 21. Ez. 16. v. 20. &c. 5. Immundi non solum à sacrificiorum oblatione, sed etiam ab agni paschalis manducatione arcebantur, quia erat manducatio non vulgaris & communis, sed religiosa & Sacramentalis. 6. Sicut serpens æneus in deserto suspensus potuit esse typus Christi in ara crucis in sacrificium exaltati, quamvis non esset in se ac per se sacrificium Joh. 3. v. 14. ita quoq; agnus Paschalis ratione cruentæ jugulationis potuit esse typus sacrificii cruenti in ara crucis oblatis, quamvis in se ac per se non esset sacrificium, ac semper cogitandum, quod agni Paschalis mactationi & comestioni, a deoque Paschalis festivitati sacrificia juxta Dei ordinatorem fuerint conjuncta. Deniq; si vel maximè concederetur Pontificiis, agnum Paschalem fuisse sacrificium propriè sic dictum, ex eo tamen nondum inferri posset, etiam Eucharistiam, per agni Paschalis manducationem præfiguram, esse sacrificium propriè sic dictum. Duo enim distincta fuerunt in ritu agni paschalis, mactatio & manducatio, utrumq; fuit typicum & in Christo implendum, nondum verò probatum, in uno eodemq; actu duo ista necessario debuisse impleri, sed immolatio impleta fuit in cruce Joh. 19. 36 manducatio in celebratione Eucharistie. Mactatio & immolatio agni Paschalis fuit cruenta, sed sacrificium, quod in Missa Pontificii statuunt, est incruentum. Ergo non potuit per mactationem & immolationem agni Paschalis esse præfiguratum. Sed hac de re, uti etiam de eo, quod nocturnus Zvinglii monitor & ejus vestigiis insi-

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda

stens Piscator ex Exod. 12. v. 11. & ex loco in quo Pascha ponitur pro agno Paschali, metonymiam suam Sacramentalem probare satagunt, alibi expresso agitur.

3. *Causa efficiens* mandati de præparando Paschate, & 4. *Locus*, ubi fuerit illud promulgatum, non exprimuntur disertis verbis ab Evangelistis, sed ex circumstantiis textus colligi possunt. Quod enim attinet *causam efficientem*, manifestum est, Christum ipsum autorem fuisse Apostolis, ut Pascha præpararent. A quo enim Apostoli quærunt, ubi debeant Pascha præparare, ab eo etiam de præparando Paschate mandatum prius acceperant. Jam verò à Christo Magistro suo Apostoli quærunt, ubi debeant Pascha præparare. *Primâ autem azymorum* (inquit Matthæus) *accesserunt discipuli ad esum dicentes, ubi vis paremus tibi Pascha ad comedendum?* Ergo etiam à Christo Magistro suo mandatum de præparando Paschate prius acceperant. Idem ex serie Historiæ apud Lucam satis perspicuum. Ille enim de eodem memorat, quod *emisit discipulos ad præparandum Pascha*, de quo paulò antè commemoraverat, quod *Principes Sacerdotum & Scribæ quæsierunt, quomodo eum interficerent, quodque Judas oportunitatem quæsierit, quomodo eum sine turba traderet*, quorum, utrumque de Christo intelligendum esse nemini dubium. Quod ergo Christus non admonitus prius à discipulis, sed proprio motu ac sponte (ut in cogitatione Historiæ ostendimus) discipulos ad præparandum Pascha ablegat, eo ipso demonstrat, tum suam ad mortem pro salute generis humani obeundam promptitudinem, de qua paulò post dicit, *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar* Luc. 22. v. 15. tum suam providam erga discipulos suos curam, quod tanquam bonus pater familias curam gerat eorum, quæ in familia ex præscripto legis erant peragenda. *Locus* quod attinet, testantur Evangelistæ unanimi consensu, Christum à discipulis compellatum, *ubi debeant præparare Pascha*, respondisse in hanc sententiam. *Ue in civitatem*, videlicet Hierosolymam, ut postea demonstrabitur. Ergo quando discipulos ad parandum Pascha emisit, non fuit Hierosolymis, sed vel *in monte oliveti*, in quo diebus inter regium ingressum & passionem intermediis pernoctare solebat. Luc. 21. v. 37. vel, quod verisimilius est, *Bethanie*, quò circa vesperam ad cœnandum se conferre solebat, quando per diem integrum Hierosolymis in templo docerat Matt. 21. v. 17. Marc. 11. v. 11. Ex hac loci circumstantia iterum colligitur, Christum spontè semetipsum passioni & morti obtulisse, Cum Pascha ultimum celebrandum esset, nondum erat Hierosolymis, sed extra Hierosolymam, potuisset igitur denuò in regionem juxta desertum abire & periculum mortis declinare, sicut fecerat Joh. 11. v. 54. sed sponte, nemine cogente, mittit discipulos Hierosolymam ad parandum Pascha, ac circa vesperam ipse eò sese confert, cum tamen probè nosset sanguinaria hostium suorum consilia, suo nos docens exemplo, quod propter pericula à præscripto legis in divino cultu non sit discedendum, nec vocatio deferenda. 5. *Objectum*, quosnam scilicet Christus ablegaverit, iisque mandatum dederit de Paschate præparando. Matthæus in genere dicit *discipulos ad Christum accessisse*, Marcus duos à Christo ablegatos memorat, Lucas nomina ipsorum exprimit.

○○○○

primit.

primit. *Et misit Petrum ac Johannem dicens. Euntes preparate nobis Pascha, ut edamus.* Hæc verba generale de præparando Paschate mandatum complectentia, ut reliqui Evangelistæ prætermiserunt, ita quoque nomina discipulorum à Christo ablegatorum silentio involverunt. Quod Christus non ipse abibat, ac Pascha vel solus vel cum discipulis suis parat, nequam factum est fastidio & fugâ laboris, docebat enim per diem integrum in templo, quod longè majoris laboris ac molestiæ erat, quàm Pascha præparare, ac semetipsum in ara crucis in sacrificium obtulit ad complendum agnifchalis typum, quod itidem longè majoris fuit operæ, quàm typicum agnum mactare; neg; factum est metu periculi, quia circa vesperam secutus est hosce Legatos & cum ipsis ac reliquis discipulis in urbe Hierosolyma Pascha celebravit, sed eo ipso voluit. 1. ostendere suum in discipulos imperium ac magisterium, quo sine etiam alibi ipsorum operâ utitur, non solum in prædicatione verbi Matt. 10, 5. Marc. 3, 13. Luc. 9, 2. sed etiam in distributione panum inter turbas Matt. 15, v. 36. Marc. 8, 6. & in adductione asinæ ac pulli Matt. 21, 2. Marc. 11, 2. & c. 2. probare ipsorum fidem & obedienciam, an majorem periculorum in urbe Hierosolyma metuendorum, quàm mandati sui de præparando ibi Paschate rationem habere velint? 3. præfigurare ipsorum in prædicando Evangelio & administrandis Sacramentis officium, quod videlicet debeant *ἑργάζεσθαι τὸ εὐαγγέλιον τῆ βεῆ* Rom. 15, 16. atque esse *economis* mysteriorum Dei 1. Cor. 4, v. 1. quia agnus Paschalis alterum illud Vet. Test. Sacramentum fuit typus *Eucharistiæ* ab Apostolis & ipsorum in ministerio successoribus administrandæ, sicut circumciso prius Vet. Test. Sacramentum fuit typus *Baptismi* Col. 2, 11. 4. interim tamen simul tacitè commendare dignitatem & præstantiam Sacramenti *Eucharistiæ*, quâ agni Paschalis Sacramento præpollet. *Eucharistiæ* enim ipsemet in propria persona postea instituit & administrat, sed ad agni Paschalis præparationem & mactationem discipulos hic ablegat, quia Sacramentum *agni Paschalis* tantummodò umbram futurorum continuit, *Eucharistiæ* verò Sacramentum ipsum corpus exhibet Col. 2, v. 17. Hebr. 10, 1. Chrysof. homil. de prodit. Judæ, *Judeorum Pascha discipuli præparabant, illud autem, quod nostrum est ipse constituit & non solum constituit, sed & ipse factus est Pascha.* Quod duos simul mittit, in eo 1. pristinum suum morem observat, quia in ablegatione Apostolorum, ut & septuaginta discipulorum itidem *ἄνα δὲ δὲ* Marc. 6, v. 7. *ἀνα δὲ* Luc. 10, v. 1. & ad asinam cum pullo sibi adducendam duos misit Matt. 21, v. 1. Marc. 11, 1. Luc. 19, v. 29. 2. concordiam & caritatem ablegatis in ipsorum persona omnibus Ecclesiæ ministris commendat. 3. consilii atq; auxilii mutui causâ ipsos conjungit. 4. ac testes eorum, quæ prædixerat, ipso eventu comprobatorum, esse jubet. Deut. 17, v. 6. cap. 19, v. 15. Joh. 8, v. 17. Act. 10, v. 41. Magnum erat miraculum, in urbe omnia ita evenire, prout Christus his Legatis prædixerat, quod in perpetuum divinitatis suæ testimonium etiam annotari voluit, necessarium igitur fuit, ut duorum testimonio exactissima illa prædictionis & eventus convenientia confirmaretur. Non autem mittit *Judam*, quamvis ipse esset *æconomus & loculos portaret* Joh. 12, vers. 6. quia pernefarium prodicionis propositum ex sancta A-

postolorum dodecade seipsum jamdum separaverat, & quia Paschalem cœnam potius impedivisset ac turbasset indicio ejus rei Pontificibus facto, quam præparasset & adornasset, sed mittit *Petrum & Johannem* 1. quia illi præ reliquis Magistro erant familiares & conjuncti, unde præcipuis mysteriis eos peculiariter adhibuit, utpote in resuscitatione filii Jairi, Marc. 5, vers. 37. Luc. 8, v. 51. in transfiguratione Matth. 17, vers. 1. Marc. 9, v. 2. Luc. 9, v. 28. in agone, quem in horto oliveti sustinuit Matt. 26, 37. Marc. 14, v. 33. ex quo colligitur utilis doctrina, quod illis, quos Christus præ reliquis amat, plus laboris imponere solet. 2. quia illi erant inter Apostolos præcipui & maximæ autoritatis, illos ergo conveniebat esse convivii illius instructores, quod ultimum cum discipulis suis Christus celebrare voluit. 3. Theophylactus in cap. 22. Luc. scribit, *missum esse Petrum, ut diligentem Johannem 21 v. 17. & Johannem ut dilectum* vers. 20. ex quo colligitur utilis observatio, quod Christus & diligens & dilectus in cœlestem Hierosolymam mittendo beatos nos faciat. 4. Ibidem per Johannem *contemplativam*, per Petrum *activam* vitam præfigurari docet. *Comedamus, inquit, & nos hoc Pascha spiritualiter, & intelligamus dies azymorum, omnem, quæ in spiritali lumine est, conversationem, quæ nullam vetustatem primæ in Adam inobediencie habeat. In qua conversatione si fuerimus, impinguandi sumus mysteriis Christi. Præparabunt itaque hæc Sacramenta Petrus & Johannes, activa & contemplativa, fervor zeli & mansuetudo pacifica. Oportet enim fideles & fervidos esse bonum operando & zelotus adversus malitiam & mansuetos erga male operantes. Odio enim habenda malitia, non is, qui malè agit, cujus habenda est cura & c. adornantes hanc mysticam cœnam habeamus Petrum & Johannem, vitam dico bonam, quæ est Petrus & vera dogmata, quæ sunt Johannes Theologus.* 5. Petrus in Scripturis præcipuè commendatur à fide Matth. 16, v. 16. Luc. 22, v. 32. Joh. 6, v. 68. & c. Johannes à caritate Joh. 13, v. 23. cap. 19, v. 26. c. 20, v. 2. & c. Significatur igitur, quod fideles & caritas requirantur, ut Christus ad nos intret & mysticam cœnam nobiscum celebrat Apoc. 3, v. 20. 6. Denique Petrus aliàs dictus fuit *Simon*, quod significat obedienciam, *Johannes* verò gratiam. Quia ergo non solum hoc loco, sed etiam alibi Petrus & Johannes conjunguntur Joh. 20, v. 1. eo significatur, quod ubi est fidei obediencia, ibi quoque sit Dei gratia, per quam paratur fidelibus cœna mystica.

6. *Forma mandati.* *Misit Jesus Petrum ac Johannem dicens. Euntes preparate nobis Pascha, ut edamus.* Erat Christus Bethaniæ, cum hæc mandaret discipulis suis, ut superius ostendimus, ideò dicit. *Euntes, videlicet in urbem Hierosolymam, ut postea explicatur, preparate nobis Pascha, ἢνα φάγωμεν* scilicet *ταῦτο, ut illud manducemus.* Ad hanc Paschatis præparationem requirebatur. 1. ut emeretur talis agnus, qualis describitur Ex. 12, v. 5. videlicet *mansuetus, anniculus, immaculatus.* 2. ut mactaretur. Non autem fuit necessarium, ut à Sacerdotibus hæc mactatio fieret, sed sufficiebat agnum à Sacerdotibus fuisse visum & probatum, ut superius ostendimus; nec fuit necessarium, ut omnes domestici, qui ex Paschali agno manducaturi erant, ejus mactationi interessent, sed sufficiebat eum à patrefamilias vel ipsius jussu à quodam ex domesticis mactari, sicut

sicut hoc loco Christus cum decem discipulis ad
 esum agni assumendis aberat, cum Petrus & Johan-
 nes agnum mactarent. 3. ut excoriatus totus sine ul-
 la ossium fractione igni *affaretur*. 4. ut pararentur
 panes azymi cum agno Paschali manducandi. Itemque
 herbe amaræ in eadem manducatione adhibendæ. 5.
 ut prospiceretur de baculis, quos manibus tenebant,
 quando agnum manducabant Ex. 12. v. 11. 6. ut
 compararentur etiam alii cibi ad convivium, quod
 manducationi agni Paschalis solebat subjungi, de
 quo postea aliquid monebitur. Hæc ergo omnia
 Christus complectitur, quando præcipit Petro & Jo-
 anni, ut *centes præparent Pascha*. Et quia ad ista coe-
 menda requirebatur aliquid pecuniæ, ideo probabi-
 liter dici potest, à Juda fuisse discipulis hæc pecu-
 niam ex communibus loculis annumeratam, ex
 qua necessaria ad Paschalem cœnam coemerent, ni-
 si cogitare velimus, illa omnia à patrefamilias gratis
 fuisse ipsi suppeditata. At, inquis, quomodo potue-
 runt discipuli primo illo azymorum die parare Pascha, cum
 juxta legis divine constitutionem quadriduo ante macta-
 tionem, videlicet die decimâ mensis primi agnus Paschali
 celebrando destinatus ex grege debuerit separari? Ex. 12.
 v. 3. Lyranus, Dionysius Carthusiensis & Abulensis
 statuunt, præceptum illud de separatione agni tan-
 tum ad primum Pascha pertinuisse, nec obligasse
 in futurum. Sed ostendimus superius in cap. 144.
 verisimiliorem esse Rupertii, Thomæ & aliorum sen-
 tentiam, quod separatio illa agni è grege etiam se-
 quentibus temporibus fuerit observata. Quamvis
 enim in repetitione præcepti de immolando Pa-
 schate separatio illa non requiratur, tamen in pri-
 ma hujus ritus promulgatione disertis verbis requi-
 ritur Ex. 12. v. 3. ac fuit pulcherrimus typus separatio-
 nis illius, quâ Christus illâ ipsâ die in solenni & regio-
 nis suo per portam ovium in urbem Hierosolymam
 ingressu ab omnibus hominibus tanquam unicum
 Mediatorem divinitus constitutum semetipsum se-
 gregavit, ut pro peccatis totius mundi in ara crucis
 seipsum Deo offerret Eph. 5. v. 12. Heb. 7. v. 26. ac tes-
 tantur quidam ex Rabinis agnum die decimâ se-
 gregatum toto illo quadriduo ligatum in ædibus
 in hypocauto ad fulcrum spondæ jacuisse, ut
 in omnium conspectu positus domesticos de di-
 gna præparatione ad Sacramenta hujus celebrationem
 & de Messia propter peccata nostra ligando
 admoneret. Cogitandum igitur, quod cives Hie-
 rosolymitani agnos complures die decimâ separa-
 verint, qui ad celebrationem Paschatis idonei ef-
 sent, quos postea peregrinis ad Pascha venientibus
 venderint. Multi enim ex vicinis & longè distan-
 tis regionibus Hierosolymam ad celebrandum Pa-
 scha confluebant, qui non poterant omnes die de-
 cimâ mensis adesse, ut agnû separarent, illis igitur
 Hierosolymitani de idoneis agnis prospiciebant,
 atque hoc fine aliquot agnos qualitatibus in lege
 præscriptis instructos die decimâ separabant, sicut
 de patrefamilias, ad quem Christus discipulos
 suos ablegat, Evangelistæ commemorant, quod
ostenderit ipsis cœnaculum magnum stratum, paratum,
utique in usum & commodum peregrinorum, ut
in eo Pascha celebrare possent. Atqui si cœnacu-
 la ædium suarum lectis, culcitris & aliis ad Pascha
 celebrandum necessariis in usum peregrinorum
 instruxerunt, multo magis de agnis idoneis die de-
 cimâ è grege separatis ipsis prospexerunt. Quod
 Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secundâ.

autem CHRISTUS hoc loco discipulos ad paran-
 dum pascha ablegat, illud in sensu mystico accom-
 modari potest non solum ad ministros Ecclesiæ,
 quod illi per prædicationem Evangelii in cordibus
 hominum Christo hospitium parare debeant, sed
 etiam ad quosvis verè pios & fideles, quod *januam*
 cordis sui Christo pulsanti aperire debeant, ut intret ad
 ipsos & cum ipsis cœnet Apoc. 3. v. 20. *Meus cibus est,*
ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus
ejus, ait ipse Christus Joh. 4. v. 34. Quod si ergo ci-
 bum Christo gratum & acceptum ipsi offerre &
 desiderabilem cœnam instruere cupimus, faciamus
 & nos Dei voluntatem, veram pœnitentiam agen-
 do, in Christum credendo, fidem per dilectionem
 & bona opera demonstrando, adversa patienter
 ferendo & à peccatis contra conscientiam sedulo
 cavendo.

Atque hæc dicta sint de generali Christi præcepto,
 quod discipulis suis Paschatis præparationem de-
 mandare voluit. Illi jam succedit præceptum speciale,
 quod Hierosolymam abire & in ædibus certi alicu-
 jus patrefamilias, quem ex indicis quibusdam de-
 scribit, præparationem illam peragere debeant. In
 hoc speciali præcepto describitur 1. *Occasio*, quæ fu-
 it discipulorum de loco parandi Paschatis quæstio.
Accesserunt autem discipuli ejus dicentes illi: Ubi vis ut
abeamus & paremus tibi ad edendum Pascha? Super-
 rius in ratione ordinis ostendimus, discipulos tum
 demum ex Christo quæsisisse, ubi Pascha debeant
 parare, postquam mandatum de parando ab ipso
 acceperant. Ergo illud *περὸν* sic accipiendum,
 quod à Christo vocati & Pascha parare iussi quæsi-
 verint, ubi illud parari debeat, ut Euthymius re-
 ctè monet. Ac quia Paschatis præparationem Chris-
 tus jam antè Petro & Johanni in specie demanda-
 verat, antequam quæstionem de loco proponerent,
 ut ex serie Historiæ apud Lucam manifestè col-
 ligitur, ex eo apparet, nomen discipulorum à Mat-
 thæo in definite positum, juxta Marci & Lucæ expli-
 cationem specialiter esse accipiendum, sensu eo,
 quod duo ex ordine discipulorum, videlicet Petrus
 & Johannes, qui de præparando Paschate admoniti
 fuerant, hanc quæstionem Christo proposuerint.
Ubi vis, inquirunt, ut abeamus & paremus tibi ad eden-
dum Pascha. Est in hac quæstione trajectio quædam
 verborum, nam *ἐπιμασώμεν σοι πάσχα* ponit
 pro *ἐπιμασώμεν σοι τὸ πάσχα*, sicut Christus paulò ante in generali præcepto dixerat, *ἐπι-*
μασώμεν τῷ μὲν τὸ πάσχα ἵνα φάγωμεν, ac ante infiniti-
 vum *φάγειν*, qui hoc loco ponitur *πλεονῶς*, subau-
 diendus est & articulus & præpositio, *φάγειν τὸ πά-*
σχα, hoc est, *ἐνεκα τῆς φάγειν τὸ πάσχα*, qualis ellipsis et-
 iam in prola Græcis frequens. Act. 17. v. 27. Quod
 autem quærunt de *τῷ πῶς de loco*, ubi Pascha parari
 debeat, duplici sensu accipi potest; Vel quod quæ-
 rant de loco generali, in qua urbe Pascha parare de-
 beant, vel quod quærant de loco speciali, in quibus æ-
 dibus urbis Hierosolymæ illud instruere debeant,
 cum in responso suo Christus utrumque exprimat.
 Qui priorem explicationem sequuntur, urgent il-
 lud, quod non quidem ignota fuerit discipulis lex
 divina Deut. 16. v. 5. *Non poteris mactare pascha in qua-
libet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus
est tibi v. 6. sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus,
ut habitet nomen ejus, ibi immolabis pascha &c. inte-
 rita tamen quia simul notum ipsis fuerit immane-
 odium*

odium Pontificum, Phariseorum, Scribarum & Seniorum, Itemq; sanguinarium decretum contra Christum ab ipsis editum ideo ipsos in eam devenisse cogitationem, quod existimaverint, Christum furori hostium suorum etiam hoc tempore cessarum, & alibi extra urbem Hierosolymam Pascha celebraturum. Congruit hæc sententia tum Apostolorum timiditati, ob quam non adeo promptè in Judæam Christum secuti fuerant Joh. 11. v. 8. & 15. tum doctrinæ, quam à Christo audiverant, quod sit Dominus Sabbati Matt. 12. v. 8. Marc. 2. 28. ac proinde etiam Dominus Paschatis, tum secessui Christi in regionem juxta desertum Joh. 11. v. 54. per quem paulò antè hostium suorum furori ipsum cessasse noverant. Ac præbet hæc explicatio salutarem admonitionem de ingenio carnis nostræ, quod majorem periculatorum ab hominibus metuendorum, quam legis divinæ rationem habeamus, id quod fidei infirmitati tribuendum Qui posteriore explicatione sequuntur, hoc urgere possunt, quod discipuli noverant, Christum ut in tempore, ita quoq; in loco Paschatos legis divinæ præscripto exactè insistere ac singulis diebus nulla periculatorum ratione habitâ à summo mane ad seram usque vesperam in templo Hierosolymitano hæcenus docuisse, proinde vix potuisse Apostolis dubium oriri, an in urbe Hierosolyma divinitus ad Paschatis celebrationem destinata, an verò extra Pascha celebrare velit. Ac si Apostoli suspicati fuissent, Christum alibi potius quam Hierosolymis Pascha celebrare velle, non quærivissent, quò abire debeant, cum Bethaniam, ubi jam erant, maximè oportunitatem illud esset. Non ergo quærunt, in qua urbe, sed in qua domo urbis Hierosolymæ Pascha apparere debeant, ac proinde verba Christi, *ite in civitatem, & ecce occurret vobis homo &c.* possunt accipi non tam *ναρηγοικως* & *πραεπτιν* quam *προδεικτως* & *indicativè*. Si in civitatem Hierosolymam (in qua sola Pascha legitime celebrari posse novistis) iveritis, occurret vobis homo portans aquæ hydriam, illum sequimini, cujus enallages imperativi pro subjunctivo cum conjunctione *si* positi exempla etiam alibi occurrunt. Num. 24. v. 21. Psal. 4. v. 5. Psal. 144. v. 5. Sirac. 30. v. 9. Joh. 2. v. 19. Luc. 14. v. 9. &c. Hanc expositionem perspicuè confirmat collatio Evangelistarum. Quod enim apud Marcum dicitur: *Ite in civitatem & occurret vobis homo &c.* Illud apud Lucam sic redditur: *Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret homo.* Ideo verò quærunt, in quibus ædibus Pascha parare debeant 1. quia tempore Paschatos Hierosolymis magna aderat peregrinorum frequentia, ut difficile esset in ea hospitium tunc invenire 2. quia noverant, Pontifices & Phariseos non ita pridem publico edicto prohibuisse, ne quis Christum in aedes suas reciperet Joh. 11. v. 57. 3. quia proximis diebus expecterant, neminem civium Hierosolymitanorum ipsum in domum recipere ausum fuisse, unde circa vesperam Bethaniam exire cogebantur. Hanc ergo posteriorem explicationem, quod de domo potius, quam de urbe discipuli quærant, textui magis congruam judicamus, ac si eo sensu discipulorum quæsitio accipiatur, elucet ex ea 1. *reverentia discipulorum erga Magistrum.* Nolunt privato arbitrio eligere aliquam domum, in qua Pascha præparent, sed ex ipso discere cupiunt, quibus in ædibus Pascha celebrari velit. Suo igitur exemplo nos ad

monent, quòd in rebus ad cultum divinum pertinentibus ex ore solius Christi unice pendere debeamus, & ab ipso discere, quid fieri à nobis velit, quid sit Deo gratum & acceptum, quam in singulis viam eligere conveniat. De ipso enim dixit Pater celestis, *hunc audite* Matth. 17. v. 5. Autor comment. in Marc. apud Hieron. *Quo vis eamus? ut cum voluntate Dei dirigamus gressus nostros.* 2. *iporum fiducia.* Postquam audivissent, Christum etiam hoc anno Pascha celebrare velle, magnâ animi fiducia quærunt, quâ in domo illud instrui vellet, re ipsâ dicentes. Quamvis hostes tui immani adversus te & nos omnes odio inflammati sunt, tamen non dubitamus ipsis frustra ringentibus & infanientibus locum aliquem in urbe nobis concessum iri, in quo Pascha celebremus, modò nobis indicare volueris, quam domum eam in rem elegeris. Sic ergo suo exemplo nos animat ad obsequium Christo præstandum, etiamsi pericula non mediocria metuenda videantur. 3. Chrysostronus homil. de prodit. Judæ colligit ex hoc loco, nec Christum nec discipulos propriam in urbe Hierosolyma habuisse domicilium, alias enim non fuisset opus quærere, ut Pascha parare debeant. *Quia (inquit) Dominus habitaculum non habebat, ideo ad eum dicunt, ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Non habemus domicilium, non habemus tabernaculum, præparatum suscepraculum non est &c.* Audiant hoc, quibus edificandarum domorum cura est & ambitiosorum portarum cogitatur instructio, quos preciosorum maxorum pompa delectat & laquearium fulgentis auri conclusio. *Cognoscant Christum omnium Dominum, qui locum, in quo caput reclinat, non habuit.* Matth. 8. v. 20. Similia occurrunt homil. 82. in Matth. & apud Bedam in c. 22. Lucæ. Sanè quod Christum attinet, de eo certum est, ipsum non habuisse Hierosolymis domum propriam, quod autem discipulos attinet, de illorum uno Niceph. libr. 1. Hist. Eccl. cap. 28. contrarium statuit, videlicet Johannem Hierosolymis habuisse domum propriam ad radices montis Sionis sitam, cui sententiæ probabilitas conciliari posset ex eo, quod Johannes post passionem matrem Domini dicitur recepisse *εις τα ιδια* Joh. 19. v. 27. quodq; post Christi resurrectionem Johannes & Petrus dicuntur abiisse *προς εαυτους in suis ædibus.* Joh. 20. v. 10. 4. Idem Chrysostronus in dicta homil. de prodit. Judæ, confert invicem *αυτην* *Γερουσιαν* Judam de proditione & Petrum ac Johannem de Paschatis præparatione sollicitos. *Tunc, inquit, advenerunt discipuli tunc hæc gerebantur, quando Judas de iraditione trahebatur &c.* Vide discipulos, vide discipulum. *Isti sunt de præparatione solliciti ille Dominici sanguinis mercator existit. Illi cogitabant obsequium servitutis, iste sceleris sponsiones exposcit.* Possunt hæc non incommode applicari ad diversos hominum mores & affectus, quibus ad festa solenniora sese præparent, quidam enim de corporis cultura, cibi ac potus luxuria, vestium superbia &c. unice sunt solliciti, quidam verò de animæ cultura cogitant, ac Christo in cordibus suis per veram pœnitentiam & fidem hospitium parare satagunt, illi Judam, hi verò Petrum ac Johannem imitantur.

2. *Loci determinatio,* in quo Pascha debeat præparari. *At ille emittit duos à discipulis, Petrum sc. & Johannem, ut ex Luca intelligitur, & dicit illi, Ite in civitatem ad quendam &c.* Athanas. in interpr. parabol.

dici, si diceretur: *Ite in civitatem ad quandam, quem vobis demonstraverit homo, qui vobis occurrerit lagenam aque portans: hoc modo jubenti sine ambiguitate posset obtemperari. Velut etiam si diceret, Ite in civitatem ad quandam, qui manet illo aut illo loco, in tali vel tali domo, cum expressione loci & designatione domus, posset intelligi, posset fieri. His autem atque hujusmodi ceteris tacitis indicis qui dicit, Ite ad quandam, & dicite ei, ideo non potest audiri, quia certum aliquem vult intelligi, cum dicit, ad quandam, & non exprimit, quomodo dignoscatur. Quod si ex persona Evangelistæ dictum illud interpositum acceperimus, erit quidem necessitate brevitate subobscura locutio, sed tamen integræ. Hæc Augustinus, quæ ideo huc referre voluimus, ut appareret, tum quanto studio insignis ille Ecclesiæ doctor vel unicam Scripturæ voculam expenderit, tum quantum ad Scripturæ explicationem adminiculum linguarum cognitio conferat. Sic ergo Matthæus tantum generaliter describit eum, ad cuius aedes Christus Jesus parandi Paschatos ergo, discipulos ablegavit, non autem recenset indicia, ex quibus eum agnoscere & potuerunt & debuerunt, sed reliqui Evangelistæ, qui post Matthæum scripserunt, indicia illa in specie recensent, quæ tamen omnia sunt ex numero τῶν ἐδεχομένων. Ecce, inquit Christus, introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo hydriam aque bajulans, sequimini eum in domum, inquam intrat, & quocumque ingressus fuerit, dicite patrisfamilias adium &c. Per voculam idē parat sibi attentionem in animis discipulorum, non solum eorum, quos ablegaturus erat, sed etiam eorum, qui instructionem legationis audiebant. Significat enim se rem planè novam ac mirabilem ipsis prædicturum, cui cum certissimè responsurus sit eventus, ex eo suam omniscientiam colligere debeant. In qua significatione particula idē usurpatur Matth. 10. v. 16. c. 20. v. 18. c. 23. v. 38. Luc. 1. v. 20. 31. & 36. c. 2. v. 10. & 34. &c. Partipium εἰσελθόντων in aoristo positum rectius redditur vobis ingressis, quam introeuntibus. Quod si enim discipulis civitatem vix dum ingredientibus ὕδροφορον ille occurreret, civitate exiret, ac proinde deduceret eos vestigia sua sequentes in domum, quæ esset extra civitatem, quod tamen scopo Christi contrarium. Syrus igitur rectè reddidit, אֵלֶּיךָ בְּבֹרֵךְ cum ingressus fueris civitatem, occurret vobis homo κεράμιον ὕδατος βαζάλων. Κεράμιον interdum usurpatur pro mensura, quam vocant Romanam, capientem χῆς hoc est, congios ὄστο, vel quod idem est, ὄστο & quadraginta sextarios autore Budæo. In qua significatione redditur per amphoram, quæ ἀμφιφορεύς Diofcor. ἀμφιφορεύς ὄστῃ κεράμιον. LXX. utuntur pro כַּח quod est nomen mensuræ liquidorum capientis decimam partem cori. El. 5. v. 10. unde alibi vertunt per χοῦα congium 1. Reg. 7. v. 25. χοίνικα chanicem Ezech. 45. v. 10. & κοτύλην corylam v. 14. Sed hoc loco significat vas figulinum, fictile, testaceum sive Samium à Latinis fidelia dictum, quod sic denominatur à κέραμῳ, quod terram, ex qua fictilia fiunt, significat. κέραμῳ, inquit Pollux, τῶσα ἡ τῶν κεραμῶν ἀγγείων ὕλη. Inde Gazæ apud Aristotelem in problem. κεράμια sunt lagene & id genus fictilia, ac Plutarcho, in 4. Symposiac. κεράμιον est dolium falsis piscibus plenum. Apoc. 2. v. 27. redditur per σκεῦῳ κεραμικῶν. In hac significatione à LXX. usurpatur pro*

כַּח laguncula à forma colliculi dicta Jerem. 37. v. 5. quod alibi vertunt per κόνην scyphum Gen. 44. v. 2. & κεράμια scyphum Exod. 25. v. 31. &c. Item pro כַּח quod significat vas sive coreaceum sive testaceum sic dictum, quod sit vacuum Jerem. 4. v. 12. unde alibi vertunt tum per ἀσκον utrem, quod propriè coreaceis vasis competit. 1. Sam. 10. v. 3. tum per ἀγγείον vas, quod propriè testaceis congruit, quando scilicet vel nomen testæ adjunctum habet, aut aliam vocem, ex qua figuli opus è terra factum esse intelligatur & sit contritioni facilè obnoxium. In hac posteriore significatione hoc loco usurpatur Græca vocis κεράμια etymologia manifestum facit, ac proinde κεράμιον ὕδατος est vas fictile, in quo aqua portatur, vel portari potest, aqualis fictilis, urceus vel hydria aquæ portandæ inserviens ex argilla à figulo fabrefacta, & quia βαζάλω de gravioribus oneribus propriè dicitur, ex eo intelligitur, vas illud testaceum non fuisse exiguæ vel mediocris, sed magnæ capacitatis. Vulgatus Interpres apud Marcum reddidit per lagenam, apud Lucam per amphoram, id quod Augustinus lib. 2. de consens. Evang. cap. 80. hoc modo conciliat, quod Marcus genus vasis, Lucas verò modum significaverit, sicq; uterq; veritatem sententiæ custodiverit. Sed neutrum vocabulum videtur satis congruum, quia lagena propriè de vase vino capiendò destinato accipitur, amphora quamvis aquam & vinum admittat, magis tamen menturæ nomen est, quam vasis, unde apud Plinium vas amphorale dicitur, quod est amphoræ capax. Syrus apud Marcum reddidit per כַּח ex Chalæo כַּח quod respondet Hebræorum כַּח ac significat quod vis vas seu utensile, quicquid in hominis usum paratur Matt. 12. 28. c. 13. 48. &c. Arabum v. 124. quod Pl. 2. v. 9. usurpatur de vase figulino כַּח Hebræis dicto, quæ significatio hujus loci est propria; apud Lucam per כַּח quod respondet Hebræorum כַּח vel כַּח ut colligitur ex 1. Sam. 1. v. 24. ubi in Targum pro כַּח ponitur nomen כַּח lagenam significans. Prædicat ergo Christus discipulis à se ablegandis, quod ipsis in urbem ingressis occurrurus sit homo vas testaceum aquâ plenum portans, de quo Origenes tract. 35. in Joh. rectè iudicat, eum fuisse servulum illius patrisfamilias, ad quem Christus discipulos suos parandi Paschatis ergo mittebat. Is iustus erat affere aquam vel ad purificationes Judæicas, vel ad mactationem agni Paschalis, vel ad vinum miscendum, vel ad alios usus domesticos & necessarios. At quomodo potuit discipulis occurrere, cum tamen jubeantur eum sequi? fieri potuit, ut circa fontem (quales Hierosolymis erant complures. 2. Paral. 32. v. 30. Nehem. 2. v. 13. & 14) ad hauriendam aquam fontanam ipsis occurreret & mox pede retrò verso ad Domini sui domum rediret, quâ ratione & ipse discipulis potuit occurrere & discipuli eum potuerunt sequi. Adde, quod ille quoque nobis dicitur σωματῶν, ad quem nos accedimus. Sic Luc. 9. v. 37. de Christo dicitur, quod συνήτησεν occurreret ei turba multa, id quod Matt. 17. v. 14. sic redditur. Cum venissent ad turbam. Sed prior explicatio est concinnior. Neque verò præcipit Christus, ut bajulum illum ὕδροφορον vel de monstrandis Domini sui ædibus, vel de concedendo hospitio compellent, quia servus de bonis heri sui non habet disponendi potestatem, sed simpliciter jubet, ut eum sequantur, ἀκολούθησατε αὐτῷ inquit. Sequimini

mini eum. Syrus juxta usitatum Hebraismum reddidit. *Ita postquam, & quidem eis rē dicitur, & εἰσπορεύεται in domum, in quam intrat, ubi præsens εἰσπορεύεται ponitur, pro futuro εἰσπορεύεται ac particula & non est pronomen relativum, quia genere non congruit cum præcedente nomine οἰκίας, sed est adverbium loci.* Inde Marcus eam reddidit per adverbium ὄντως, quocumque ingressus fuerit, in illas aedes etiam vos intrate, ac dicite τῷ οἰκοδεσπότῃ τῆς οἰκίας patrisfamilias illius domus, quia articulus habet vim εὐαφορικῆς. Syrus verba Christi apud Lucam in domum, quam intrat, non jungit cum præcedentibus, sequimini eum, sed cum sequentibus, & quo ingressus fuerit, dicite patrisfamilias, id quod cum descriptione Marci planè confentit. Sed Græci Codices omnes cum præcedentibus ea conjungunt, sensus utrobi que idem exurgit. Hic verò explicandæ sunt aliquot quæstiones antequam ad observationes doctrinales ex hac loci determinatione elicendas descendamus. Quæritur enim 1. *Quare Christus noluerit patremfamilias, ad quem discipulos suos ablegabat, nomine exprimere, sed certis quibusdam indicis eum describere?* 1. Hieronymus in cap. 26. Matth. Et servi & patrisfamilias nomina idè prætermissa esse dicit, ut omnibus, qui Pascha facturi sunt, libera festivitatis occasio panderetur. Eadem est sententia Bedæ in Matth. Marcum & Lucam. Consultè, inquit, sive aque bajuli seu Domini domus sunt prætermissa vocabula, ut omnibus verum Pascha celebrare volentibus, hoc est, Christi Sacramentis imbui, eumque mentis sue hospitio suscipere querentibus danda facultas designetur. Sed mystica illa ratio tunc demum locum aliquem habere potest, si prius literalis fuerit exposita. Hilarius can. 30. in Matth. aliam affert rationem, sed ipsam quoque mysticam. *Hominem, inquit, cum quo Pascha celebraturus esset, non nominat, nondum enim Christiani nominis honor credentibus erat præstitus, qui verè sunt Deum mentis ac fidei oculis contuentes, ut cum eo Pascha Domini Apostolos præparare sciremus, cui in tempore Domini novum nomen esset addendum.* 3. Ambrosius in cap. 22. Luc. hac nominis præmissione significari putat, patremfamilias illum fuisse hominem pauperulum, quales solent esse plerique Christi discipuli. *Non persona divitis (inquit) aut potentis eligitur, sed pauper ambitur & angustum hospitium pauperis amplius nobilitum adibus arefertur. Scibas Domine nomen ejus, cujus scibas ministerium, cujus scibas occursum, sed ideo sine nomine designatur, ut ignobilis aestimetur.* Sed cœnaculum magnum stratum, paratum, quod discipulis ad Pascha præparandum concedit, ostendit hunc patremfamilias non fuisse hominem pauperulum, sed divitem. 4. Chrysostomus homil. 82. in Matth. hanc præmissi nominis affert rationem, quod fuerit ignotus. *Quia, inquit, ignotus erat, signum eis dedit, quale de Saule Propheta Samuel dicens 1. Sam. 10. v. 3. Invenies hominem ascendentem & utrem habentem, hinc verò aque amphoram portantem.* At Christo, utpote omniscio, nomen hujus patrisfamilias ignotum esse non potuit, ac si vel maxime discipulis ignotum fuisset, querendo tamen illum investigare potuissent, nisi cogitare velimus, Christum idè potius ex quibusdam circumstantiis hunc patremfamilias describere, quam nomen ejus Apostolis ignotum exprimere maluisse, quod non esset satis tutum quemvis obvium compellere, ac

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

patremfamilias, apud quem CHRISTUS Pascha celebraturus erat, manifestare. Sed si statuat, patremfamilias illum fuisse unum ex occultis Christi discipulis, (quà de re paulò post agetur) cessat hæc Chrysostomi ratio. Si enim fuit unus ex occultis CHRISTI discipulis, non fuit Apostolis ignotus. 5. Theophylactus in Lucam memorat quosdam statuisse, propter Judam proditorem nomen patrisfamilias à Christo fuisse suppressum. *Quidam (inquit) dicunt, quod propter hoc non dixit nomen hominis nec manifestavit eum, sed signo quodam deduxit eos ad domum illius, propter proditorem, ut ignorato nomine non proderet domum Pharisæis, qui venissent & comprehendissent eum, priusquam Canam perliceret, & spiritualia sua Sacramenta traderet.* Idcirco infra Christus dicit. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, hoc est, omnem operam adhibui, ut lateat proditorem, & ne ante tempus sustineamus passionem, priusquam traderemus Sacramenta.* Eandem rationem affert Euthymius in Matthæum, quam non contemnendam judicamus. Quamvis enim Christus uno nutu omnem vim hostilem avertere potuisset, tamen hac suâ omnipotentiâ noluit in statu exinanitionis semper uti, sed furori hostium, quandoque cessit & media securitatis prudenter adhibuit. 6. Præcipua verò causa, propter quam Christus patremfamilias illum non suo nomine exprimere, sed certis quibusdam indicis describere voluerit, ea est, quod specimen divinæ omniscientiæ edere, & fidem Apostolorum hac ratione confirmare & contra scandalum crucis ipsorum animos munire voluerit. Facillimum ipsi fuisset, nomen ejus, ad quem discipulos mittebat, exprimere sed maluit miraculo quodam discipulos ad eum dirigere, ut prædictioni Christi eventum exactissimè respondere videntur sic ratiocinantur. En sicut Magister noster loco abiens videt hominem portantem hydriam, sic videt occultas Pontificum molitiones, ipsi ergo inficio nihil potest obtinere. Sicut flebit animum patrisfamilias, ut promtè hospitium ei concedat, sic posset mutare animos Pontificum & omnium suorum hostium, ipsi ergo invito & coacto nihil potest obtinere. Hac omniscientiæ & consequenter divinitatis Christi demonstratione & potuissent & debuissent Apostoli in fide confirmari, ne postea per passionis & mortis ignominiam tantopere scandalizarentur. Sicut eodem sine ante regium suum in urbem ingressum asinam cum pullo in bivio alligatam se in luce omniscientiæ suæ videre demonstraverat Matth. 21. v. 2. Q. 2. *An paterfamilias ille fuerit ex occultis Christi discipulis?* Quidam hoc affirmant, propterea 1. quòd tam promptus sit ad concedendum Christo & discipulis ejus hospitium, id quod non sine magno periculo tunc temporis fieri poterat, 2. quia discipuli simpliciter ei nunciant. *Magister tibi dicit, quo nomine apud familiares CHRISTI discipulos uti solebant Joh. 13. v. 13. contra verò cum ab ignotis asinam & pullum sibi commodatò dari peterent, dicebant: Dominus his opus habet.* Matth. 21. v. 3. quia Christus mysterium instantis suæ passionis & mortis ipsi manifestat. *Tempus meum prope est, videl. à Patre cœlesti ad passionem & mortem mihi præstitutum.* 4. quia Christus suam amicitiam & familiaritatem erga illum hominem declarat, quod ex hoc mundo abiturus ultimam apud illum.

Oooo 4 illum.

illum cœnam, eamq; non invitatus, sed familiarissimorum amicorum more sponte sua instituere voluerit. 5. quia ex solo *Magistri* nomine paterfamilias statim intelligit, à Jesu Nazareno discipulos hofce ablegatos esse, utiq; ergo eum pro Magistro & doctore divinitus misso habuit. Præbet hæc sententia, utilem admonitionem, quod eadem hodie debeat esse fiducia ministrorum Ecclesiæ erga auditores, ac doctorum erga discipulos, sicut Paulus magna *παρρησία* Philemoni scribit. *Para mihi hospitium*, in Epist. ad Philem. v. 22. Quidam contra statuunt, patremfamilias illum non quidem Christo omniscio ignotum fuisse Joh. 2., 24. interim tamen nec oculis corporeis visum, nec auribus ejus nomen auditum, sed ratione externæ conversationis ignotum & à doctrina Christi fuisse hæctenus alienum, ut sic argumentum illud, quo Christus divinam suam omniscientiam & omnipotentiam demonstrare voluit, evadat illustrius, quod hominis nunquam à se visi vel auditi servulum atq; ædes noverit, ipsusq; animum à se & doctrina sua alienum ita permovere potuerit, ut nulla periculorum ratione habita hospitium sibi concederet, perinde ut paulò ante animos eorum, ad quos jure dominii asina & pullus pertinebant, divina virtute ita permoverat, ut haud inviti jumentorum usum sibi concederent. Quidam mediam amplectuntur sententiam, quod hic paterfamilias Christi quidem prædicationem audiverit, miracula ejus viderit & in ipsum crediderit, non tamen familiariter cum ipso vel ejus Apostolis fuerit conversatus, nec ab illis unquam corporeis oculis prius visus. Quicquid sit, argumenta illa, quibus verisimiliter probavimus, hunc patremfamilias fuisse ex numero fidelium, non videntur carere omni pondere, neque per hanc sententiam quicquam decedit argumento divinæ omniscientiæ & omnipotentia Christi, ut paulò post demonstrabitur. Q. 3. *Cujus ædes illa fuerint, in quas discipuli intrare jubentur & Pascha in illis præparare?* 1. Niceph. lib. 1. Hist. Eccl. c. 28. statuit, fuisse ædes Johannis Evangelistæ. *Hæc cœna*, inquit, *paratur in domo ut ajunt, Johannis Evangelistæ, quam ille possessione sua (non exigua autem ea fuit) in Galilea Caiphe ejus temporis Judææ Pontifici vendidit (cujus gratia etiam illi notus extitit, sicut ipse alicubi sacro suo testimonio astruit) in locis circum Sion montem sitis comparaverat.* Similia habet lib. 2. c. 3. Eadem sententia est Cedreni in Comp. Proculi in tradit. Liturg. Cyrilli Hierosol. catech. 16. Sed & Nazianz. in Tragœd. *Christus patiens*, itidem facit mentionem ædium, quas Johannes Evangelista Hierosolymis habuerit proprias. Originem habet hæc traditio ex eo quod in Historia passionis fit mentio discipuli, qui *notus fuerit Pontifici* Joh. 18. v. 15. quodque Johannes post Christi passionem matrem Domini *eis rã idia recipisse* dicitur Joh. 19. 27. Sed ostendimus in Harm. de pass. p. 1802. per discipulum illum alium potius occultum Christi discipulum intelligendum quam Johannem; ac si vel maxime statuatur, Johannem Evangelistam ædes proprias Hierosolymis habuisse, (cujus contrarium Chrysostomus ex hac ipsa pericope colligit, ut superius vidimus) ex eo tamen nondum evinci potest, in illis ædibus Pascha fuisse præparari jussu ac postea celebratum, quia in numero eorum, qui ad præparandum Pascha ablegati fuerant, fuit etiam Johannes Evangelista, qui proinde manifestè distinguitur à patrefamilias,

in cujus ædibus Pascha præparari jubetur. Baronius nimis molliter hanc Nicephori traditionem Evangelistarum descriptioni adversam tractat, cum enim contra Nicephorum secundum Evangelistas pronunciare deberet, rem in suspenso adhuc relinquere videtur. *Johannem* (inquit ann. 34. num. 21.) *domum Hierosolymis habuisse in quam post Christi passionem Dei genitricem recepit, assentimur, v. 22.* Anverò ipsum Dominus noster hoc anno celebraverit Pascha, dubium valde redditur, quod Lucas scribat, ipsum Johannem cum Petro missum ad perquirendum, ubi Pascha parandum foret, nec ut in domo sua pararet, Dominum præcepisse, nec illos id compertum habuisse, sed rogantes, apud quem parandum esset jussos esse sequi hominem lagenam aque portantem. Quinimò Salmeron Nicephori assertionem cum Evangelistarum descriptione conciliare nititur. *Fieri*, inquit, *poterat, ut eo tempore ædes illas aliquis discipulus Christi dives conduxisset, ut propterea missus ad eum fuerit Johannes cum Petro, ut ab eo impetrarent locum ad celebrandum Pascha, ut ille non tantum facile concesserit, quia discipulus Domini erat, sed etiam quia intercedebat Johannes, pater quem jus domus erat.* At nec conductio ædium cum divitiis, nec intercessio Johannis cum jure proprietatis satis congruit, ac hypothesis illa, quod hæc ædes Johannis fuerint propria, ob quam etiam causam paterfamilias hospitium in eis Christo & Johanni, ac reliquis Apostolis concesserit, non mediocriter enervat argumentum, quod pro astruenda Christi omniscientia & omnipotentia ex hoc loco deducitur. Si enim Johannis auctoritas patremfamilias permovit non potest occultæ virtuti Christi & verborum ejus tribui. 2. Quidam statuunt, patremfamilias illum fuisse *Simonem leprosum*, apud quem ante dies sex Christus cœnaverat, eumque fuisse Lazari à Christo resuscitati patrem. At Simon leprosus non Hierosolymis, sed Bethaniæ suum habebat domicilium. Matth. 26. v. 6. Marc. 14. v. 3. Alexander Monachus in laudatione Barnabæ apud Metaphrasten statuit, fuisse ædes *Mariæ matris Johannis cognomento Marci*, cujus mentio fit Colos. 4. vers. 10. in quibus cætus Ecclesiæ Apostolicæ tempore sævissimæ persecutionis Hierosolymis excitata fuit congregatus Act. 12. vers. 12. quarum ædium itidem meminit Nazianzenus in Tragœdia. *Christus patiens*. Sed juxta hanc hypothesein Christus matremfamilias potius quam patremfamilias de hospicio sibi concedendo compellare debuisset. 4. Quidam suspicantur vel *Josephum Arimatheum* vel *Nicodemum* sub nomine hujus patrisfamilias esse intelligendum & ad alterutrum eorum Christi discipulos fuisse ablegatos, cum patrefamilias ille describatur, ut homo dives ac nobilis, qui fuerit Christi discipulus, sed occultus propter metum Judæorum, quorum utrumque Josepho & Nicodemo tribuitur Matth. 26. v. 57. Marc. 15. v. 43. Luc. 23. v. 50. Johan. 3. v. 1. cap. 7. v. 50. cap. 19. v. 38. & 39. Sed enim cum Spiritus sanctus per amanuenses suos Evangelistas noluerit nomen hujus patrisfamilias manifestare, sed voluerit illud esse occultum, idè de eo non sumus solliciti, in die extremi judicii omnibus erit notus ac manifestus ex egregio illo opere confessionis, quod non dubitaverit CHRISTO hospitium in ædibus suis ad parandum Paschæ concedere, cum Clerus Hierosolymitanus publico edicto Christum, ubi lateret, indicari, præcepisset Johan.

11. v. 57. Præbet verò hæc loci determinatio usum *didacticum* live *informativum*, & quidem multiplicem. Nam 1. Christus hac futurorum eventuum prædictione ostendit, totum negotium præparationis Paschalis, eandemq; paulò post insecutæ passionis suæ, non casu aut temerè, sed Dei consilio & providentiâ geri. Quia enim tam exactè Christus prævidet ac prædicat, bajulum aquæ Apostolis urbem ingressis occurrerem, eosq; in ædes, in quibus agnus Paschalis præparandus erat, deducturum, eo ipso ostendit, omnia divino consilio ad passionem & mortem suam esse quodammodo disposita, ita ut Deus ipse occulto quasi instinctu servulum illum ad fontem hauriendæ aquæ causâ misisse videatur, ut discipulis occurreret, eisq; viam monstraret, in quibus omnia ad Pascha celebrandum præparata, ne quicquam vel Paschæ celebrationem vel per illud præfiguratum illudq; statim insecutam passionem & mortem Christi retardaret. Act. 2. v. 23. c. 4. v. 28. Nostres dicunt: Wenn ein Ding geschehen soll, so muß sich alles darzu schicken, quod tamen sano sensu accipiendum, videl. non de absoluto decreti impulsione, sed de suavi divinæ providentiæ dispositione. 2. Per eandem divinam suam *omniscientiam* & *majestatem* evidentissimè comprobatur, dum ex ejusmodi iudiciis & servum aquæ bajulum & patrem familias illarum ædium, in quibus Pascha celebrandum erat, describit, quæ non poterant præsciri vel prædici nisi ab eo, qui futura & abscondita æquè videt ac præsentia & aperta. Sanè Prophetæ etiam prædixerunt futura, sed ex revelatione Spiritus Christi 1. Pet. 1. v. 10. Christus verò ex plenitudine Deitatis in ipso personaliter habitantis Col. 2. v. 9, & ex thesauro divinæ sapientiæ ac scientiæ in ipso abscondito v. 3. Illi pauca quædam à Deo sibi manifestata noverunt. 2. Reg. 4. v. 27. Christus verò *novit omnia* Ioh. 21. v. 17. &c. Ambros. in c. 22. Luc. *Majestatem divinitatis adverte, cum discipulus loquitur, & jam novit, quid alibi sit futurum.* 3. Quia Christus futura & abscondita discipulis suis voce humanâ prædicat, ex eo intelligitur, quod sancta ipsius anima, utpote τὸ λόγῳ personaliter unita, divinæ omniscientiæ per illam unionem sit particeps facta, unde cum *crederet sapientia*, erat *πληρῶμεν σοφίας* Luc. 2. v. 40. Coloss. 2. v. 3. Damasc. lib. 3. orth. fid. c. 21. *Anima Christi propter unionem identitatem & unionem inseparabilem locupletata est futurorum cognitione.* 4. Quia hic in statu humiliationis divinæ suæ omniscientiæ secundum divinam Naturam sibi *essentialiter* propriæ, secundum humanam Naturam sibi *personaliter* communicatæ illustre specimen edit, ex eo colligitur, quod exinanitio non sustulerit omniscientiæ communicationem vel particularem ejusdem usurpationem, sed duntaxat universalem & plenarium ejusdem usum. Ubi enim & quando voluit, Christus omniscientiâ illâ sibi ut homini communicatâ usus est, sicut in principio ministerii *Nathanaelem* sub sicu videt Johan. 1. v. 48. in progressu staterem in ore piscis Matth. 17. v. 27. in egressu asinam cum pullo in bivio alligatam Matth. 21. v. 2. & hoc loco hominem aquæ hydriam bajulantem. 5. Quia Christus in institutione Eucharistiæ esum agni Paschalis statim insecuta divinam suam sapientiam demonstrare voluit, ideò in præparatione Paschalis cœnæ Apostolis demandanda, & in demonstratione loci, in quo eadem paranda,

divinam suam omniscientiam ostendit. 6. Sicut Deus res temporales scientiâ aternâ; res finitas scientiâ infinitâ; res fluxas & mobiles scientiâ fixâ & immobili, res distinctas scientiâ simplicissimâ, ita quoque res futuras scientiâ præsentem, res mutabiles scientiâ immutabili; res contingentes scientiâ necessaria novit ac complectitur, proinde respectu divinæ præscientiæ cessat illud axioma, quod *futurorum contingentium non sit determinata veritas*. Respectu causarum secundarum *οὐδεὶς ἰδὼν* & contingens erat, bajulum aquæ Apostolis occurrere, sed respectu divinæ præscientiæ, quæ falli nequit, illud erat necessarium & infallibile; unde etiam Christus certò & infallibiliter discipulis hoc prædicere potuit. Interim ut præsens nostra visio non afferat necessitatem *à priori*, sed tantum *à posteriori*, ita quoq; de Dei prævisione idem statuendum, quod non afferat necessitatem *consequentis*, *absolutam*, *precedentem* & *simplicem*, quæ oritur ex necessaria causâ cum effectu coherione, sed necessitatem *consequentis* ex *hypothesi*, *sequentem* & *conditionalem*, quæ oritur ex actu existentia & est rerum sua Naturâ contingentium, quæ tamen necessaria dicuntur vel quia sequuntur ex causis, quæ non mutantur, cum tamen sua Naturâ mutari potuissent, vel quia cum sunt simul non possunt non esse. *Omne enim quod est, eo ipso quod est, necesse est esse*. 7. Ex eo, quod Christus discipulos mittit ad parandum Pascha in domo aliena, colligitur, eum Hierosolymis non habuisse domum propriam Matth. 8. v. 20. hac sua paupertate sponte propter nos susceptâ *divites nos fecit* 2. Cor. 8. v. 9. &c. 2. *elementicum* live refutatorium & quidem 1. *contra Calvinianos*, qui negant Christo secundum naturam Naturam communicatam esse divinam omniscientiam. 2. *contra Photinianos*, qui negant Deum futura contingentia, præsertim mala ex humanis voluntatibus dependentia, certò & infallibiliter præscire antequam fiant. Socin. in prælect. c. 8. cum tamen non solum ex hoc loco, sed etiam ex aliis Scripturæ dictis, præsertim vero ex prædictionibus Prophetis manifestum sit, Dei præscientiam versari etiam circa *הַקְרִיבָה* ea, quæ accidunt & contingunt. Ela. 41. v. 22. quæ Apostolus vocat *συναισθησια* Act. 20. v. 22. adeoq; circa omnia, quæ fiunt, anteveniant Sirac. 23. v. 29. 3. *contra Pontificios*, qui ex hoc loco probare cupiunt *crama* live vinum aquæ mixtum *necessariò* in administratione Eucharistiæ esse *adhibendum*. Atqui ex eo, quod aquæ bajulus Apostolos præcedit, eosq; deducit in domum, in qua Eucharistia postmodum instituta & celebrata, tantum probabiliter colligi potest, quod Dominus Eucharistiam in vino aqua permixto celebravit, ut agnoscit ipse Thomas part. 3. q. 74. art. 6. & Bellarm. lib. 4. de Eucharist. cap. 10. cum ad alios etiam usus aqua illa adhiberi potuerit, ut superius monuimus. Ac si vel maximè firmiter probari posset Christum vinum non merum, sed aqua temperatum in Eucharistiæ administratione adhibuisse, nondum tamen sequeretur, mixtionem illam aquæ cum vino in ipsa Cœnæ administratione esse necessariò adhibendam, & quidem sine eo, ut *unio fidelium cum CHRISTO non solum representetur, sed etiam efficiatur*. CHRISTUS enim illud fecisset pro more regionis temperaturam illam in vinis calidioribus requirentis ac proinde esset indifferens vel merum vel mixtum vinum adhibere.

3. *paræneticum sive exhortatorium.* Si Christus in statu exinanitionis vidit hominem aquæ hydriam bajulantem, multo magis hodie in statu exaltationis videt & quidem maximâ cum displicentia videt homines vini lagenas efficcantes & vino semetipfos sepelientes. Revereamur igitur oculos ipsius Solucidiores atq; eo modo nos geramus, ut videat nos aquæ hydriam potius bajulantes, h. e. in officio nostro diligentes & sobrios, quàm vini lagenam portantes, h. e. ebrios & in officio remissos. *Esa. 5. v. 11. & 12. 4. paracleticum sive consolatorium.* Aqua in Scripturis significat tribulationem & crucem. *2. Sam. 22. v. 17. Psal. 18. v. 17. Psal. 32. v. 6. Psal. 69. v. 2. &c.* Quod ergo Christus videt hominem aquæ hydriam bajulantem, eo ipso demonstrat, quod videat nos onus crucis portantes, ac sub eo ingemiscetes, atq; ut hoc loco discipulos suos mittit ad aquæ bajulum, ita quoque in cruce mittit nobis consolationem Evangelii per ministerium verbi. *5. allegoricum ac mysticum,* de quo postea disseremus, ubi reliqua hujus specialis mandati membra expenderimus. Sequitur enim.

3. *Instructio,* quibus verbis patremfamilias ædium illarum, ad quas aquæ bajulus ipsos deducturus erat, compellere debeant: *Quocumque ingressus fuerit ille servulus, dicite patrifamilias ædium. Magister dicit tibi, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis, ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edam?* Lucas habet verbum *espere*, quod in futuro indicativi positum vulgatus interpres accipit, reddit enim *dicetis*. Et sanè usitatum est apud Hebræos futura poni pro imperativis, idque maximè in præceptis, ut apparet ex Decalogo, in quo fere omnia singulorum præceptorum verba sunt futuri temporis, sed ex præcedenti verbo *ακολούθησθε* apparet, *espere* in imperativo hoc loco positum esse. Instructionis ipsius duæ sunt partes. In priore jubentur patrifamilias indicare, quod Christus in ipsius ædibus Pascha cum discipulis celebrare velit, & quidem illo ipso die. In posteriore jubentur loci ad eam rem commodi *ἐνδεξιν* sive demonstrationem petere. Prius expedire debebant hisce verbis. *Magister dicit tibi, tempus meum prope est apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Apud Marcum præmittitur particula *ὅτι*, sed quæ hoc in loco est expletiva, ac servit duntaxat mimesi, unde Syrus eam omisit. Vulgata videtur eam accepisse *αἰπολογικῶς* reddidit enim per *quia*, qua ratione membrum posterius ex priore inferretur. *Quia Magister apud te cum discipulis suis vult Pascha celebrare, ideo ostende nobis diversorium, ubi commode illud præparari possit.* Elogio Magistri Christus honorabatur & familiariter compellabatur à suis discipulis *Mar. 4. v. 38. cap. 10. v. 35. Joh. 11. v. 28. cap. 13. v. 13.* unde etiam alii hoc nomine ipsum compellabant, qui tamen pro doctore divinitus misso eum non agnoscebant *Matth. 12. v. 38. cap. 22. v. 24. Luc. 7. v. 40. &c.* Syrus hoc loco, uti etiam alibi reddidit *Magister noster*, sed in Græco textu Christus absolutè se vocat *διδάσκαλος*, cum eo sensu ac gradu titulus Magistri nulli æquè atque ipsi competat *Matth. 23. vers. 8. & 10.* Cum ad asinam ac pullum adducenda ante dies quinque discipulos ablegasset, jusserat ad Dominos jumentorum ipsos hac verborum formâ uti, *Dominus his opus habet* *Matth. 21. vers. 2.* hic vero simpliciter dicere jubentur, *Magister dicit*

tibi, ex quo probabiliter colligitur, patremfamilias illum, cui hæc nunciari jubet, fuisse ex numero discipulorum; ut sit sensus. *Magister tuus & noster, hoc officium à te expetit, cui ad illud præstandum, jure discipulatus es obstrictus: Magister dicit tibi.* Verbum *dicere* Hebræis, præsertim verò Arabibus sæpe est idem quod *præcipere*. *1. Reg. 11. vers. 18. 1. Paral. 20. vers. 17. Esth. 1. vers. 10. Joh. 2. vers. 11. Marc. 5. vers. 43.* in qua significatione etiam hoc loco potest accipi, quia nomine Magistri auctoritatem & præcipiendi potestatem Christus huic patrifamilias indicat, ac in parte posteriore instructionis nullum habetur verbum, quo Christus per preces cum hoc patrefamilias de hospicio impetrando agendum esse doceat. Interim tamen, quia Christus hic potius occulto impulsu, quàm externo præcepto agere voluit, ideo verbum *λέγει* potest simpliciter accipi pro *nunciare, indicare*, quo modo accipitur *Marc. 10. vers. 32. Luc. 10. vers. 12. &c.* ut sit sensus. *Magister per nos tibi hoc nunciat: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Per tempus CHRISTI quidam intelligunt instant tempus passionis & mortis ipsius, cui expositioni inservit, quod tempus passionis vocatur *Christi hora* *Joh. 7. vers. 30. cap. 8. v. 20. cap. 13. vers. 1.* quodque paulo post *Luc. 22. vers. 15.* Christus passionem suam cum veteri Paschate conjungit. *Chrysost. homil. 82. in Matth. Non solum dixit, apud te facio Pascha, sed illud præposuit: Tempus meum prope est, quod fecit partim, quia volebat crebrò passionis memoriam discipulis inculcare, ut hæc præmeditatione corroborati minus turbarentur, partim ut & illis ipsis & suscipienti atque Judæis omnibus ostenderet, quod sæpe dixit, non invicem se ad passionem accedere.* *Theophyl. in c. 26. Matth. Tempus suum nominat immolationem, ut dicamus, quod non ignorans neque involuntarius immoletur.* Quidam verò intelligunt tempus celebrandi paschatos, cui expositioni inservit, quod *Joh. 7. v. 6. & 8.* tempus sibi ad ascendendum Hierosolymam commodum Christus vocat *suum tempus.* Tempus meum prope est, h. e. quamvis Judæi traditones majorum secuti Paschatos celebrationem in diem sequentem rejecerint, mihi tamen convenit cœlestis Patris voluntatem unicè sequi & juxta ipsius legem circa hujus ipsius diei vesperam Pascha celebrare. Utraque explicatio textui congruit & optimâ ratione conjungi potest. Ut enim cum immolatione agni Paschalis tanquam typo immolatio Christi in cruce tanquam antitypon tuit conjuncta, ita quoq; Christus in his verbis & tempus celebrandi Paschatis & tempus suæ passionis conjungit. Tempus celebrandi Paschatos vocat *suum tempus*, quia a Patre cœlesti in lege illud erat præscriptum ac proinde studiosè à se observandum. Tempus passionis itidem vocat *suum tempus*, quia in æterno trinitatis consilio illud sibi noverat ad passionem suscipiendam esse definitum ac determinatum, Utraq; etiam explicatio efficax persuasionis argumentum continet. Quia lex divina præcipit, ut illo ipso die, videlicet die 14. primi mensis Pascha celebretur, ergo legi huic divinæ obsequuturo omnis generis adminicula ad Paschatis celebrationem necessaria pro virili sunt exhibenda. Quia ipsa lex Naturæ dicitur, ut morti vicinis aliquid à nobis petentibus faciles nos præbeamus. Ergo patrefamilias Christo morti vicino hoc officium in concedendo

ad Pascha celebrandum hospitio promtè præstare debet. Sensus igitur est. Quia tempus adest Paschati celebrando divinitus destinatum, quod cum discipulis meis in his terris ultimum celebrabo, ideo æquum est, ut hunc postremum honorem atq; hoc ultimum mihi officium præbeas hospitium in ædibus tuis ad Pascha celebrandum mihi concedendo. *Apud te*, h. e. in domo tua. Ita enim non solum Latini, sed etiam Græci loquuntur Marc. 5. v. 35. Johan. 2. v. 10. Act. 16. v. 40. *Pascha facere est* solennitatem Paschatis in agno Paschali & azymis manducandis celebrare, quo modo hæc phrasis accipitur 2. Reg. 23. v. 21. 2. Paral. 35. v. 11. Hebr. 11. 28. Syrus habet verbum *די* quod in ea significatione usurpatur Esa. 19. v. 21. *Et facient sacrificium & oblationem*, h. e. parabunt, celebrabunt. Tempus præsens *facio Pascha*, ponitur pro paulò post futuro, mox faciam Pascha, qualia enallages exempla occurrunt Matth. 26. v. 28. Luc. 13. v. 32. cap. 22. v. 19. Johan. 7. v. 33. 1. Cor. 16. v. 5. &c. vel etiam verbum actum ponitur pro voluntate & decreto, *facio apud te Pascha*, h. e. decrevi apud te facere Pascha, Genes. 24. vers. 58. Exod. 16. v. 23. 1. Sam. 21. v. 9. Joh. 21. v. 3. Act. 7. v. 26. 1. Cor. 6. v. 12. &c. Nec dicit, *facio tecum Pascha*, sed *apud te cum discipulis*, h. e. cum duodecim meis Apostolis, qui *ἐξοχικῶς* Christi discipuli dicebantur Matth. 8. v. 25. c. 9. v. 10. &c. quia singulæ familiae seorsim celebrabant Pascha, nec ad agni Paschalis manducationem extraneos admittere poterant, nisi unius familiae homines non fuissent absumendum agnum Paschalem Exod. 12. v. 3. & 4 Josephus lib. 7. de bello Jud. cap. 12. *In die festo, qui Pascha vocatur, per singulas hostias* Φραγιάς *contubernia non pauciorum, quam decem sunt solum enim epulari non licet, multi autem etiam vicini conveniunt.* Jam verò ut Christi familia tredecim personis constans fuit sufficiens esui unius agni, ita quoque patrisfamilias illius utpote divitis familia satis ampla peculiari agno absumendo sufficiens fuit. Nec exprimit numerum discipulorum, sed simpliciter dicit, *apud te facio Pascha cum discipulis meis*, ex quo iterum probabiliter colligi potest, hunc patremfamilias fuisse occultum CHRISTI discipulum, utpote qui ex solo discipulorum, h. e. Apostolorum nomine audito intelligere poterit, quot comites CHRISTUS secum adduceret & quot lectis mensa sit infrendenda.

Posterius instructionis membrum ita habet: *Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis edam?* Pererius in Disp. 1. super c. 13. Joh. ex voce diversorii colligit, *Christum celebrasse suum Pascha in ejusmodi domo, ad quam divertere soliti fuerint advena & peregrini convenientes Hierusalem ad celebrandum Pascha, h. e. in domo quadam communi & diversorio publico, ut seipsum paulò post explicat.* Sed hæc sententia non congruit circumstantiis textus. Quorum enim Christus ex certis indiciis domum illius patrisfamilias discipulis præmonstraret, si ea fuisset domus communis & diversorium publicum? Nec permiffent Pontifices Christum paschalem cœnam in domo communi celebrare, cum pridie quam ipsi Pascha celebraverit, sicque à consuetudine publico Ecclesiæ consensu tunc recepta discesserit. Sed nec convenit huic hypothefi, quod Pererius ibidem subjungit, *Christum post resurrectionem suam*

eandem domum clausis januis ingressum discipulis sese manifestasse. Quomodo enim occultè in ea discipuli latitare potuissent Judæorum sævitiam metuentes, si fuisset domus communis & publicum diversorium? *κατάλυμα* dictum à *καταλύει* divertere, *hospitium capere* propriè significat diversorium generaliter sic dictum, h. e. locum in quem aliquis divertit, sive ille sit communis & publicus, in quem plures divertunt, de quo apud Plutarchum dicitur *καταλύειν εἰς πανδοχείον*, quod Cicero dicit, *divertere in tabernam*, sive privatus & proprius, in quem familiaritatis & amicitia causa unus aliquis cum suis divertit, sicut apud Thucydidem dicitur, *καταλύσαι τῶν Ἀδμητων* ad Admetum divertere, ac Luc. 19. v. 7. Christus ingreditur domum Zachæi *καταλύσαι αὐτῶ* ut apud eum diverteret. In hac posteriore significatione, videl. de diversorio in ædibus privatis vox *κατάλυμα* hic accipitur, ut constat ex omnibus circumstantiis, sed Luc. 2. v. 7. in priorè significatione potius usurpatur, videlicet pro publico hospitio, vel pro communi aliquo in domo sive hospitio loco, in quo promiscuè commorabantur & sarcinulas suas deponebant, vel ubi communi mensa hospites cibum capiebant ut in Harm. cap. 8. D. Chemnicus explicat. LXX. utuntur pro *בית מדרש* quod significat locum, in quo quis pernoctat, *hospitium pernoctationis* Exod. 4. v. 24. Jerem. 14. v. 9. pro *בית מדרש* quod 1. Sam. 9. v. 22. significat *cœnaculum* h. e. locum convivii, in quo plures simul cibum capiunt, quæ significatio huic loco optimè congruit, quia quærentibus discipulis *τὸ κατάλυμα*, ubi Pascha manducem cum discipulis, paterfamilias mox ostendit *ἀνώγειον* *cœnaculum magnum structum*, unde Syrus per periphrasin reddidit, ubi est *בית מדרש בית* domus hospitii vel convivii, utrumque enim significat vox Chaldaica *בית* ac utraque significatio huic loco congruit. Latinus Interpres apud Marcum reddidit: *Ubi refectio mea?* h. e. ubi locus refectiois, quem *refectorium* in monasteriis vocant. Sed pronomen relativum nec in Græco textu, nec in Syriaca paraphrasi additur. Apparet autem ex hac instructionis forma: 1. Christum non coactum vel vi hostitium superatum pati, sed sponte passionem & mortem adire. *Tempus meum*, inquit, *prope est*, videl. tempus passionis & mortis à Patre cœlesti mihi constitutum, ergo nec fortuito vel temerè nec Judæorum violentia ad mortem abripitur, sed spontè obsequens voluntati & decreto Patris cœlestis. 2. Christum crebriore illà passionis & mortis suæ prædictione voluisse animos discipulorum adversus scandalum ex ea oriturum præmunire. Nobis quoque convenit de morte nostra sapius cogitare & sermocinari, ut adversus ejus insultus nos probe muniamus: *Mortem venientem nemo lætus accipit, nisi quis diu ad eam composuit.* 3. Christum esse absolutum nostrum Magistrum ac dominum, cui sine ulla tergiversatione ac dubitatione credere & parere debeamus, quale absolutum magisterium, ac dominium nulli hominum competit Matth. 23. v. 8. & 10. Joh. 13. v. 13. 1. Cor. 8. v. 8. &c. 4. Verbum Christi esse efficax, etiam si per alios proferatur. Christus hoc loco non alloquitur patremfamilias immediate & in propria persona, sed per suos discipulos ipsi nunciari curat. *Ubi diversorium &c.* nihilo tamen

ramen minus hoc Christi verbum ad permovendum patrisfamilias animum potens atq; efficax. 5. Testatur & hoc de majestate & efficacia verbi Christi, quod non dicit, Dominus hospitio ad parandum Pascha opus habet, sicut N. th. 2. v. 2. in adductione a fine & pulli verbis illis usus fuerat, sed *Magister dicit*. Potuisset etiam hoc loco magnificis illis elogiis uti, *hæc dicit Dominus, hæc dicit Filius Dei, hæc dicit Salvator mundi*, sed solo Magistri nomine divinam suam auctoritatem ac potestatem animo patrisfamilias insinuat, ut verbi sui efficaciam magis demonstraret, unde etiam non rogat nec supplicat pro concedendo sibi in alienis ædibus hospitio, sed simpliciter patrisfamilias nunciari curat. *Apu de facio Pascha, ubi diversorium &c.* sicque jure suo divino & cœlesti usus potius imperat quam precibus sollicitat.

4. *Eventus prædictio. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, paratum, ibi parate nobis*, quæ verba postrema (scopum totius orationis Christi continent, videl. quod in domo illa, quam certis indicibus descriperat, Pascha parare debeant. Sicut prædixerat Christus, quid discipulis urbem ingressis obvenerunt, videl. occursum illis aquæ bajulum, ita quoque prædicit, quid ipsis, domum patrisfamilias illius, ad quem ablegabantur, ingressis, obvenerunt sit, videl. patremfamilias in concedendo hospitio non fore morosum ac difficilem, sed promissimum. Et ipse sentiens divinam verborum meorum vim in corde suo, ad usum instruendi ac celebrandi Paschatis promptè concedet, vobisque statim ostendet *cœnaculum magnum, ἀνώγειον & ἀνώγειον* (scribitur enim utraque forma) propriè significat superiorem ædium contignationem cuiusq; tandem usui ea sit destinata, dictam ex eo, quod sit à solo subductior ac supra terram elevata, unde Origenis Interpres v erit *locum in superioribus*. Syrus reddidit *עליל* ab *ascendendo*, quod non nisi per gradus ad locum illum sublimiorem ascendi possit, sicut contra *κατώγειον* est locus inferior terræ proximus vel etiam infra terram. Quia verò veteres in superiore ædium parte cœnare fuerunt soliti, inde *ἀνώγειον* h. l. rectè vertitur *cœnaculum*, quia scil. Paschalem Cœnam Christus in ea celebravit. Erasmus reddidit *triclinium*, à tribus *κλίμας* sive *lectis* in quibus cœnantes accumbere solebant, sic Actor. 1. v. 13. Apostoli post Christi ascensionem è monte oliveti Hierosolymam reversi dicuntur ascendisse *eis τὸ ὑπερώϊον*, quod cum hoc *ἀνώγειον* videtur unum fuisse. Quia enim in hoc cœnaculo Christus ultimum Pascha cum discipulis celebraverat, Eucharistiam in eo instituerat, & suavissimis sermonibus valedictionis loco eos consolatus fuerat, ideò Apostoli illud elegerunt in locum conventus Ecclesiastici, in quo etiam postea acceperunt Spiritum sanctum die Pentecostes super ipsos effusum Actor. 2. v. 1. ac Cyrillus Hierosolymitanus catech. 16. memorat, *locum illum ab Apostolis in Ecclesiam fuisse consecratum*. Congruit etiam ipsa vocabuli significatio. Nam *ὑπερώϊον* live *ὑπερώϊον* est *ἀνώγειον* ὄκημα ut Hesy chius exponit, superior & secretior domus pars Act. 9. v. 37. cap. 20. v. 8. quam Hebræi vocant *עליל* Jud. 3. v. 20. 2. Reg. 18. v. 33. Ezech. 41. v. 7. ubi LXX. illud reddiderunt per *ὑπερώϊον* sicut hoc loco pro *ἀνώγειον*. Syrus eadem voce utitur. Divinà verò providentià factum.

ut paterfamilias ejusmodi conclave ad celebrandum Pascha Christo & discipulis concederet, quod erat in superiore & secretiore ædium parte, quia Christus secretò & remotis arbitris cum suis discipulis in Paschali illa cena erat locutus & acturus, præsertim in sacratissimi mysterii Eucharistici institutione, voluit etiam Pontifices latere, quod pridie Pascha celebraret, quam ipsi ac reliqui Judæi, ne calumniæ occasionem ex hoc facto arripere, quod tamen legi divinæ erat exactissimè conforme. Porro cœnaculum ipsum sic describitur, quod fuerit. 1. *magnum* quod tredecim virorum familiam Pascha in eo celebraturam commode poterat capere. 2. *stratum ἐστρωμένον*. Illud pleriq; sic accipiunt, quod cœnaculum hoc fuerit tapetibus vestitum, mensis ac lectis (in quibus *παροχαιζοντες* discumbere solebant. Hebr. *כרסום* appellatis) instructum, floribus ac frondibus ornatum, adeoq; necessarià suppellectile & omni ornato ad Paschatis celebrationem adhiberi solitis paratum. Dionys. Carthus. in c. 22. Luc. *Stratum, h. e. dispositum, paratum & aptum ad usum agni*. Et sanè verbum *ἐστρωμένον* de frondium ac vestium strato usurpatur Mart. 2. 1. 8. Marc. 1. 1. 8. quâ ratione τὸ ἐστρωμένον ἐξηγητικῶς exponeretur per τὸ ἐστρωμένον apud Marcum. Sed quia hæc omnia potius exprimuntur per τὸ ἐστρωμένον, ideo Luther. nos ter τὸ ἐστρωμένον reddidit *gepfassert*, ut sit sensus, cœnaculi illius pavimentum fuisse lapidibus sive regulis ac lateribus stratum, id quod non solum ad ornatum ejus facere potuit, sed etiam in calidioribus illis regionibus refrigerium aliquod pedibus præstitit, cui expositioni etiam favet Syrus Interpres, qui reddidit *ἐστρωμένον* *complanatum, equatum*, quamvis eadem vox metaphoricè usurpetur pro eo, quod est *aptum & idoneum* 2. Cor. 3. v. 6. quæ enim complanata & æquata, illa etiam sunt apta & idonea. Nec potest huic expositioni opponi, quod cœnaculum hoc in superiore ædium parte fuerit, quia experientia testatur, pavimenta ejusmodi etiam in superioribus conclavibus commode parari posse. 3. *paratum*. Vulgatus Interpres illud omittit, sed Græci Codices illud habent, ac Syrus expressit per *בונום* *bonum, factum* live *preparatum*. Hieronymus vertit *mandatum*, quæ omnia eò pertinent, quod Christus hac descriptione significare voluerit, Apostolos in ædibus illius patrisfamilias commodum & omnibus ad Pascha celebrandum necessariis instructum cœnaculum esse inventuros, ac nihil deesse, nisi ut agnum mactent, assent, apponant. Cogitari igitur potest, hunc patremfamilias, utpote in re lauta constitutum, habuisse amplam domum, in qua ea magnum cœnaculum, quod appetente jam Paschatis festo mensis, lectis aulæis & omnibus necessariis instruxerit, ut paratum esset, si qui peregrinorum hospitio ipsius uti vellent. Cùm enim ad festum Paschatos non solum ex Palæstina, sed etiam ex omnibus circumquaque regionibus Judæi & profelyti magno numero Hierosolymam venirent, adeo ut Josephus lib. 7. de bello Judaic. cap. 17. in ultimo ante urbis excidium paschate ducenta & quingenta sex millia & quingentas hostias Paschales numeratas fuisse referat, quæ si deni epulatores singulis hostiis sive agnis Paschalibus attribuantur (solebant verò etiam viceni ad unius agni elum congregari (decuplo vel vigecuplo majorem summam conficiunt, ideò non potuerunt omnes peregrini

grini in publicis diverforiis ad Paschatis celebrationem commodum habere locum, sed cives Hierosolymitani conabantur in privatis ædibus quibusdam ipsorum locum dare, atque eo fine in superiore ædium suarum parte (inferiorem enim suam reservabant familiam) vel unum vel plura cœnacula omnibus necessariis instruebant, ut hospites certâ mercede ea conducentes Paschalem solennitatem in iis celebrare possent. Beda de locis sanctis, Damasc. l. 4. de fid. c. 14. Burcardus de loc. sanct. c. 7. memorant, domum hanc fuisse sitam in monte Sionis, inque ea Christum post resurrectionem discipulis apparuisse & Spiritum sanctum in ea ipsis datum, eandemque in Ecclesiam ab Apostolis fuisse conversam, quod postremum Niceph. lib. 8. c. 30. Helenæ Augustæ rectius tribuit. Singulari verò Dei providentia factum, quòd hic paterfamilias cœnaculum illud magnum, stratum, paratum, nondum aliis peregrinis, qui jamdum ante complures dies Hierosolymam venerant, ut se sanctificarent Joh. 11. v. 55. intervenitu precii elocaverit, sed Christo eis discipulis in ipso ferè celebrandi Paschatis articulo illud petenti reservaverit. Euthymius existimat, Christum privato colloquio prius ab hoc homine hospitium ad Pascha celebrandum impetrasse. Sed hoc non congruit circumstantiis textus, ac labefactat argumentum, quod pro astruendâ divinâ Christi virtute ex hac patrisfamilias promptitudine depromitur. Rectius igitur statuetur, quàm uti Christus divinam suam omniscientiam demonstraverat in prædicatione de *ὑποψοφῶ* Apostolis urbem ingressis occurso, ita quoque divinam suam virtutem & omnipotentiam demonstrare voluit occulta verborum suorum vi animum hujus patrisfamilias permovendo, ut hospitium sibi & Apostolis concederet, ac providendo, ne aliis peregrinis illud addiceretur, priusquam Apostoli advenirent. In Papatu circumfertur traditio quòd Rex Herodes apud hunc patremfamilias divertere solitus fuerit, verum divinâ providentiâ factum esse, ut is mutato consilio hoc anno aliud hospitium elegerit, ex cujus apparitu Christum in ultima cœna dicunt ulum catino ex *Snaangdo*, quo nullus precisor visus unquam, nulla gemma nobilior, nulla species vasis mirabilior, quem catinum Genueses in Liguria in reliquias hodie monstrant, sed & Lugdunenses quidam Monachi in agro paropsidem preciosam ostendunt, quâ Christum in ultima hac cœna usum fuisse narrant, cui traditioni, ortæ procul dubio ex eo, quod cœnaculum magnum, stratum, paratum discipulis monstratum dicitur, quantum fideitribuendum sit, quilibet facile intelligit. Illud utilius ex hoc loco observatur. 1. quod Christus divinâ suâ omnipotentia illustre specimen hic exerat. Cum David in exilio constitutus Legatos suos mitteret ad Nabalem, ut honorarium aliquod ab ipso impetraret, Nabal fastuosè & morosè respondet: *Quis est David? & quis est filius Isai? multiplicati sunt hodie servi, qui fugiunt à Dominis suis? num tollam ego panes meos & aquas meos, & carnes pecorum, quæ occidi consortibus meis, & dabo viris, quos nescio unde sint?* 2. Sam. 25 v. 10. & 11. pari ratione hic paterfamilias Hierosolymitanus pro factu divitibus proprio respondere potuisset. Cœnaculum quidem habeo paratum & instructum, sed illud ditioribus reservo, non possum illud gratis vobis concedere, paravi agnum Paschalem pro me & meis domesticis &c. sed Christi

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Contin. pars secunda

stus omnipotente suâ virtute cor ipsius ita regit ac movet, ut haud gravatim cœnaculi illius usum discipulis concedat, sicut eadem virtute ante dies quinque animos eorum, ad quos a fine & pullus jure domini pertinebant, permoverat, ut eorum usum sibi concederent Matth. 21. v. 2. 2. Hoc ipsum piis paupertate pressis magnum exhibet solatium, quod Christus ipsorum frater, qui ipse quoque pauper fuit in hoc mundo 2. Cor. 8. v. 9. nec habuit propriam domum, in qua Pascha celebrare possit, corda divitum ita regere ac movere possit, ut ex sua copia ipsorum inopiæ subveniant v. 13. Apostoli à Christo ablegandi erant in totum terrarum orbem, ibi verò non mediocriter confirmati fuerunt, quando cogitarunt, sicut Christus in hac legatione apud patremfamilias Hierosolymitanum de commodo hospitio ipsis prospicit, ita quoque in altera illa legatione de necessariis ad vitæ sustentationem ipsis prospecturum. 3. Sicut Christus hoc loco efficaciter movet animum hujus patrisfamilias, ut hospitium ad parandum Pascha sibi concedat, sic eadem divinâ suâ virtute potuisset mutare animos Pontificum, Pharisaorum, Scribarum, Judæ proditoris & omnium hostium, ne quidquam contra se tentarent, vel prohibuisse potuisset, ne sanguinaria sua consilia in actum deducerent, sed maluit Patris cœlestis voluntati sese obsequentem præbere ac passionem sponte adire, quàm majestate suâ uti, quam Christi gratiam & humiliationem meritò commendat Apostolus ut *donum* 2. Cor. 8. v. 9. & ut *exemplum* Phil. 2. v. 5. Theophyl. in cap. 14. Marc. *Mittit illos ad hominem ignotum, ostendens illis, quòd posset non pati. Qui enim mentem hominis ignoti conciliare sibi poterat, ut se exciperet, quid non fecisset in aliis?* 4. Chrysostom. homil. 82. in Matth. meritò commendat fidem & animositatem hujus patrisfamilias, quod non dubitaverit contra publicum Pontificum Pharisaorum & Seniorum edictum Christo hospitium præbere. *Illud admiror, inquit, quod bellum acerrimum & inimicitias Primatum ex hac re incumbere sibi videns omnibus neglectis libenter obtemperavit.* Erat Christus à Pontificibus, Ecclesiæ titulum Synagogæ suæ vendicantibus, anathematis fulmine percussus & ipsius consortio omnibus interdictum, nec tamen veretur hic paterfamilias eum in aedes suas recipere. Quod si Cœmonia illa de superliminari & postibus ædium sanguine agni Paschalis illinendis non in primo solium, sed omni Paschate observari debuit, quod verisimile esse, inferius ostendemus, non potuit esse adeò occultum, Christum in his ædibus cum discipulis Pascha celebrare. Accedit, quod Christus pridie suam Pascha celebravit, quàm Synagoga Judaica, ac fortè solus cum suis vel certè pauci ex Judæis legi divinæ adhuc insistentibus illo die Pascha celebrarunt, reliqui omnes rejecerant illud in diem sequentem, hæc singularitas patremfamilias illum facile absterre potuisset, ne Christo domum suam concederet, nisi divina Christi virtus efficaciter ipsius cor immutasset, ac nisi ipse ex fide omnia mundi odia & pericula propterea metuenda contempsisset. Sed nec sine jactura rei familiaris vel certè cum lucro cessante hic paterfamilias Christo inservit. Potuisset enim hoc cœnaculum magnum, stratum, paratum, magno precio aliis elocare, quod gratis Christo concedit, quæ enim Christi & discipulorum paupertas erat, non videntur usum hujus

Pppp

cœnacu-

coenaculi mercede conduxisse. Hæc omnia quidam tribuunt divitiis & dignitati hujus patrisfamilias, quod illis animatus alto supercilio odia Pontificum despexerit. Sed circumstantiæ ostendunt, rectius tribui ipsius fidei, cujus proprietates in hoc exemplo egregie describuntur. 5. Proinde divites hunc patremfamilias imitari & Christi ministris hospitium ac vitæ necessaria prompto animo tribuere debent, cujus benevolentia ac beneficentia largissima recipiant præmia, sicut memoria hujus patrisfamilias perpetuò in Ecclesia servatur Matth. 26. v. 12. Marc. 14. v. 9. ac in die judicii hoc nomine coram Angelis & hominibus prædicabitur.

Huic mandato Christi de parando Paschate tam generali, quam speciali subjungitur 2. *promptum discipulorum obsequium. Et discipuli ejus exierunt & venerunt in civitatem, & euntes invenerant, sicut dixerat illis, & fecerunt, sicut constituit illis Jesus & paraverunt Pascha.* Verbum ἐξῆλθον interdum ponitur pro ἀπέχθησαν, loco se movere Matth. 11. v. 14. interim tamen propriè significat ex urbe vel domo exire, unde probabiliter colligitur, Christum Bethaniæ hæc mandata Apostolis suis, Petro sc. & Johanni dedisse, qui proinde Bethaniæ egressi venerunt in civitatem videlicet Hierosolimam, quia articulus additus ostendit certam urbem metropolin scilicet Palæstinæ hic intelligi, de qua in mandato suo Christus etiam egerat. Et euntes invenerunt sicut dixerat illis, h. e. ipsi urbem ingressis occurrit servulus secudriam aquæ portans, cujus vestigia cominus secuti pervenerunt ad illas ædes, in quibus Pascha præparari Christus voluit, quarum dominum cum verbis Christi compellerent, sine ulla mora vel scrupulo ostendit illis coenaculum magnum, stratum, paratum, id est, fecerunt, sicut constituit illis Jesus, & in coenaculo illius patrisfamilias paraverunt Pascha. Pro τὸς οὐρανῶν quidam Codd. legunt τὸς οὐρανῶν eodem sensu, utrumque enim pro οὐρανῶν, quod propriè ordinationem ac constitutionem significat. Quid per Paschatos præparationem intelligatur, exposuimus superius, videlicet quod emerint agnum proprietatibus in lege descriptis præditum, eundemque jugulatum, excoriatum & mundatum, veru adaptarint & assarint simulque panes azymos, herbas amaras & alios cibos Paschali convivio adhiberi solitos paraverint, ut Christo cum reliquis discipulis sub vesperam veniente omnia essent instructa & ad manducationem agni rectè accedi possent. Hic ergo 1. in Legatis proponitur nobis exemplum obædientia Christo debita. Passi fuerant à Juda proditore sese seduci, ut ipsi quoque in convivio Bethaniensi foemina piè prodiga obsumtuosam unctionem obmurmurarent, sed verbo & autoritate Christi in viam revocati ad priores redeunt mores ac pristinam reverentiam & obsequium Magistro suo præstant. Jussi Hierosolimam abire non tergiversantur ob præsentissimum, quod sibi & Christo in ea imminere noverant periculum, nec de eventu præposterè sunt solliciti & anxii, sed in cordis simplicitate verbis Christi fidem habentes paraturi Pascha in urbem velut oves in luporum cubile intrant. Idem affectus etiam fit in nobis. 2. Quemadmodum simplex illa discipulorum obædientia optatum experitur eventum, & præsentissimam Christi & verborum ejus virtutem, invenerunt enim ἰδοὺ φῶρον, invenerunt hospitium, invenerunt patremfamilias promptum,

invenerunt coenaculum paratum &c. ita quoque si fidei obsequio Christum & ipsius verbum honoraverimus, ipse vicissim nos honorabit prospero vocationis nostræ cursu & felici rerum expedientiarum successu 1. Sam. 2. v. 30.

Sed jam tempus est, ut de allegorico & mystico hujus ablegationis usu quædam subjungamus, & quidem primò omnium ex veteris Ecclesiæ Doctoribus. Origenes, qui ob nimium allegoriarum studium reprehensionem incurrit, tract. 35. in Matth. *Spiritualiter Pascha celebramus, quando ascendimus ipsa Domino nobiscum constituto ab inferioribus ad locum superiorum, in quo diversorium est, quod demonstratur ab intellectu, qui est in uno quoque homine patrefamilias, discipulas Christi. Hæc autem domus superior sit nobis magna, ut capiat Jesum verbum Dei & sapientiam & virtutem, & omne quod est filius Dei, qui non capitur nisi à magnis sensu. Est sic domus hæc præparata à patrefamilias intellectu, filio Dei, non solum in loco superiori, nec tantummodo magna, sed etiam mundata, nullo modo habens malitiam sordis, quasi à scopis legis coadunitas atque projectas. Sic domus ista & in civitate Dei, hoc est, in Ecclesia &c.* Ego autem puto, quod homo qui ingredientibus discipulis in civitate occurrit eis amphoram aquæ portans, quem voluit Jesus, ut sequeretur discipuli ejus euntem in domum, qui subtilem illam aquam domui apportabat, ut non solum esset mundata, sed etiam aquis plenius eluta, erat quidam ministrans patrefamilias, hoc est, intellectui, portans mundatioriam aquam in fictili vase, ut sublimitas sit virtutis Dei. Aut certe, potabilem aquam ministrabat in illo fictili vase, ut Filius quidem Dei generationem præbeat vitæ, ille autem intellectus minister ex lege & Prophetis aquam portet, quæ miscetur cum vino Evangelici verbi. Nos ergo qui optamus de Ecclesia esse, volentes celebrare Pascha cum Jesu, sequamur hominem illum, qui vas bajulat hujusmodi aquæ, quem puto esse Moysen legis datorem spirituales doctrinam portantem in corporalibus Historiis. Qui autem accedunt ad legem & Prophetas, quasi ad eloquia ipsius Dei, non autem sequuntur eum spiritualiter, qui vas bajulat aquæ vivæ, non celebrant Pascha cum Jesu, nec calicem bibunt Novi Testamenti. Præparent autem discipuli Pascha Jesu & post sermones discipulorum, quibus catechizarunt patrefamilias, id est, intellectum, veniat & divinitas unigeniti copulans discipulis suis in domo prædicationis. Scire tamen debemus, qui in epulationibus & sollicitudinibus secularibus sunt, non ascendunt in domum illam superiorem, nec vident magnitudinem ejus, nec considerant stratus illius ornatum. Propterea nec celebrant cum Jesu Pascha, nec accipiunt panem benedictionis ab eo, nec calicem Novi Testamenti. (Hæc omnia de intellectu per Spiritum S. regenerato & illuminato sunt accipienda) Athanasius in interpret. parab. Evang. q. 1. p. 323. *Quenam civitas est? Ecclesia. Quod aquæ testaceum vas? Sanctum Baptisma. Qui ille homo? præcursor, Quod coenaculum? regnum celorum.* Ambrosius in cap. 22. Luc. p. 151. *Ultimam mihi contingat amphoram aquæ portare, contingat lagenam aquæ portare, quam portat patrefamilias, habens in superioribus stratum magnum.* (Origenes illum aquæ bajulum à Patrefamilias rectius distinguit.) *Quid est enim amphora, nisi mensura perfectior? Non mediocres, qui mensuram habent. Denique Dominus, mensuram, inquit, bonam, cumulatam, superfluentem dabunt vobis*

bis. Nam de aqua quid loquar? super aquam ante ipsos mundi naules sanctus, ut legis, Spiritus ferebatur, O aqua, que humano aspersum sanguine, ut presentium lavacrorum figura praeceperet, orbem terrarum lavisti. O aqua, que Sacramentum Christi esse meruisti, que lavas omnia, nec lavaris. Tu incipis prima, tu compler perfecta mysteria, à te principium, in te finis, vel potius tu facis, ut finem nesciamus &c. Hieronymus in cap. 26. Matth. Videtur mihi cœnaculum lex spiritualis intelligi, que de angustiis literæ egrediens in sublimi loco recipit Salvatorem, Paulo id ipsum loquente quod ea, que ante pro lucro reputabat, quasi purgamenta quisquiliæque contemserit, ut dignum Domino quospiritum prepararet. Autor commentar. in Marcum apud eundem in cap. 14. Civitas est Ecclesia, que muro fidei cingitur, homo occurrens populus primitivus est. Amphora aque lex literæ est. Sequimini eum, qui ducit in altum, ubi est refectio Christi, unde Raab exploratoribus mandat, ut non irent per ima, sed per excelsum pergerent. Cœnaculum grande Ecclesia magna est, quâ narratur nomen Domini, strata varietate virtutum & linguarum, ut est illud circum amicta varietate Psal. 45. v. 14. in qua paratur Domino Pascha Dominus Domus Petrus Apostolus est, cui Dominus domum suam concedidit, ut sit una fides sub uno pastore. (At hoc non congruit sensui literali, in quo Petrus unâ cum Johanne ad patremfamilias live dominum illius domus ablegatur.) Beda in cap. 26. Matth. repetit Hieronymi expositionem, & addit: Aqua bajulus præco est gratiæ, quem qui fuerit in domum secutus Ecclesiæ, hic per Spiritum illustrantem superficiem literæ transcendendo, in alto mentis solarium Christi refectioem preparat, quia cuncta vel Pasche Sacramenta, vel cætera legis decreta ejus esse Sacramenta agnoscit, in cap. 14. Marc. facit oppositionem: Qui adhuc occidentem literam servaverit, qui non aliud in agno quam pecus intellexerit, iste nimirum in imis Pasche facit, quia Spiritus majestatem comprehendere necdum didicit. in cap. 22. Luc. Pulcre paraturis Pascha discipulis homo amphoram aquæ portans occurrit, ut ostendatur hujus Pasche mysterium pro ablutione perfecta mundi totius esse celebrandum. Aqua quippe lavacrum gratiæ, amphora mensuram perfectam significat. Parant ergo Pascha, ubi aqua infertur amphora, quia tempus videl. adest, quo veri Pasche cultoribus typicus delimine cruor auferatur, & ad tollenda crimina vivifici fontis Baptisma consecratur. Theophyl. in cap. 14. Marc. Hydriam bajulat baptizatus, vadit autem in domum, que rationali suo ordine digna est. Qui enim habet Baptisma, ad requiem vadit, juxta rationem vivens, & vivit in ordine, quasi in domo quadam, paterfamilias mens est, qui ostendit triclinium magnum, sublimes scilicet sensus. Verum, triclinium hoc stratum est, hoc est, tametsi sublime sit, nihil tamen habet vel asperum vel superbum, sed stratum est, & humilitate complanatum. Illic ergo, in tali inquam mente preparatur Christo Pascha in cap. 22. Luc. Si habuerimus Petrum & Johannem, adornantem cenam, vitam dico bonam, que est Petrus, & vera dogmata, que sunt Johannes Theologus, occurret illis preparatoribus homo. Tunc inveniemus humanam conditionem verè formatam secundum imaginem conditoris vas aquæ figulinum gestantem. Aqua quidem Spiritus gratiæ, ut Evangelista Johannes docet: Figulinum autem vas, cor quod facile confringitur, nam qui spiritualem Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

gratiam accipit, humilis est & contritus corde. Humilibus enim dat Dominus gratiam. Qui autem scit, seipsum esse terram & cinerem & dicit cum Job, De terra me formasti, ille portat gratiam spiritus in vase sui cordis, quod facile compungitur & conteritur. Et cum affectu fuerimus banc conditionem, abeamus in domum mentis, cujus paterfamilias monstrabit nobis cœnaculum magnum stratum. Cœnaculum autem est sublimis ejusmodi mentis capacitas, divinatorum inquam & Spiritualium, in quibus habitat & in quibus amicus excipitur. Strata autem sunt hec nihil enim in eis asperum, sed & aspera in plana convertuntur tali menti, sicut & Salomon dixit: Omnia plana intelligentibus & recta inventientibus scientiam, Id autem peccatoribus non dixit, quia mens, licet opus excellens faciat, juxta suam efficaciam agens, strata tamen ejus scientia est & adhuc humiliora habet. Sublimis autem & que vera scientia & super omnem sublimitatem, ignoratio est, que mentem transcendit, quando non jam mens operatur, sed operationem sentit ac patitur. Oportet autem nos prius in mente nostra operari & deinde gratiæ Dominicæ operationem in nobis sentiemus, que nos suscipiet, sicut Prophetas, & eos qui excessum patiuntur, & omni naturali operatione destituuntur. Denique dicitur assumptio Domini, & in hujusmodi Propheta fieri. Sicut igitur & in hoc cœnaculum stratum venit JESUS cum discipulis suis & mysteria perscit: ita venit ad nos in domum nostram, & suam ostendit efficaciam, sed non expectat, ut nos veniamus ad eum. Discipuli autem verbi Dei sunt omnes sermones, quos fecimus. Tunc igitur cum intellexerimus, quod operetur in nobis verbum, dico impletionem, imò cum assuefacti fuerimus jungere sermonibus opera, tunc videbimus cœlos opera digitorum eorum (Hæc commode sunt explicanda, ne vel Pelagianam liberi arbitrii commendationem vel Enthusiasticos raptus confirmet) Euthymius in cap. 26. Matth. Mystice significatur, quod ad quemcunque divinum Baptisma ingressum fuerit, nam id hydriæ aquæ figuntur, apud hunc Christus requisivit, maxime si stratum habeat cœnaculum, hoc est, pacificatam mentem. Hæ sunt præcipue veterum allegoriæ, in quibus prudens adhibendus est delectus, cum non omnes sint æque congruæ: 1. Per Hierosolymam, in qua Christus Pascha preparare præcipit, fatis commode potest intelligi Ecclesia, tum quæ adhuc militat in terris, tum quæ triumphat in cœlis. Quemadmodum enim non alibi nisi Hierosolymis Pascha legitime celebrari potuit, ita quoque in sola Ecclesia rectè & legitime utimur Sacramentis per Pascha. posterius V. T. Sacramentum præfiguratis. Quemadmodum civitatis nomen non exprimitur, sed Christus absolute dicit: Ite in civitatem: ita non potest nomen certi alicujus loci exprimi, cui Ecclesia perpetuo sit alligata, sed in hac vita est ambulatio. Civitas à quibusdam dicta putatur, quod sit civitatis unitas, hoc pulcre accommodari potest ad Ecclesiam, in qua viget unitas fidei & Spiritus Ephes. 4. v. 3. Quemadmodum discipuli Hierosolymam abantes omnia inveniunt ita comparata, prout dixerat illis Jesus: ita quando curriculum vitæ nostræ abolverimus, in cœlesti Hierosolyma omnia inveniemus, sicut à Jesu nobis prædictum, esse scilicet ibi mansiones multas &c. Joh. 14. v. 2. Cum Regina Arabiæ Hierosolymam ad Salomonem, Pppp 2 veniret,

veniret, ac videret omnem sapientiam Salomonis & domum, quam edificat & cibos mensa ejus & habitacula servorum & ordines ministrantium vestesque eorum & pincernas, & holocausta, quae offerebat in domo Domini &c. in hac erumpebat verba 1. Reg. 10. v. 6. *Verus est sermo, quem audiui in terra mea de rebus tuis & super sapientia tua v. 7. & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis & probavi, quod dimidia pars mihi non fuerit nunciata, major est sapientia tua & bonum, quam rumor, quem audiui. v. 8. Beati servi tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam.* Ita quando magno cum Angelorum comitatu aliquando caelestem Hierosolymam ingrediemur, inveniemus omnia, sicut in hac vita in verbo fuit nobis praedictum, imò deprehendemus, quod necdum dimidia pars illius felicitatis, gloriae & laetitiae nobis fuerit manifestata. Tunc mirabimur caelestis Salomonis Christi Jesu sapientiam Matt. 12. v. 41. ministrorum, h. e. Angelorum & beatorum ordinem, ciborum, h. e. aeternae refectiois plenitudinem, vestium, h. e. corporum glorificationem palchritudinem domus, h. e. caeli magnitudinem, sacrificiorum, h. e. divinarum laudum multitudinem, &c. Quemadmodum etiam CHRISTUS Hierosolymis Paschalem coenam cum discipulis celebrat: sic in caelesti Hierosolyma aliquando implebitur, quod in Paschali illa coena discipulis suis & sub ipsorum persona omnibus verè fidelibus promissit Luc. 22. v. 29. *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus. v. 30. ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. 2. Per domum,* in qua discipuli Pascha praepararunt, itidem potest intelligi Ecclesia, quae est domus Dei viventis 1. Timor. 3. v. 15. quae ratione per Hierosolymam, in qua haec domus quaerenda, intelligendus erit mundus, in quo Ecclesia hospitium habet. Quemadmodum in hac domum convenit Christus cum discipulis suis, ut Pascha in ea celebret, Sacramentum Eucharistiae instituat, ac multos discipulos consoletur: sic Ecclesia est coetus eorum, qui congregantur in Christi nomine, in quorum medio est ipse Christus Matth. 18. v. 20. in hoc coetu praedicatur verbum Dei, administrantur Sacramenta, audiuntur exhortationes ad pietatem, Evangelicae consolationes, preces & hymni &c. Quemadmodum nomen patrisfamilias ad quem haec domus pertinebat, non exprimitur, sed tantum certis quibusdam indiciiis describitur, sic Ecclesia in hoc mundo non habet fixam sedem, cui perpetuo sit astricta. Coenaculum hujus domus est in superiore & sublimiore parte situm: sic Ecclesia non est rebus terrenis affixa, sed querit ea, quae sursum sunt Col. 3. v. 1. Phil. 3. v. 21. Coenaculum hujus domus est magnum, stratum, paratum; per hoc significatur, quod Ecclesia N. T. non amplius angustis Judaeae limitibus sit inclusa, sed ampla ac late patens. Annon magna est, quae per totum terrarum orbem diffunditur? An non strata ac parata, quae caelestibus Spiritus sancti donis multiplicibus ac variis ornata & spiritualibus Sacramentis ditata? Quemadmodum hydrophorus discipulos ad illam domum deduxit, quam alias non potuissent invenire: sic Baptismus, qui est lavacrum aquae in verbo Ephes. 5. v. 27. praebet nobis ingressum in Ecclesiam. Quemadmodum discipuli verbo Christi simplici fide credunt & aquae bajulum sequuntur: sic fidei simplicitate opus est illis, qui per Baptismum Ecclesiam

ingredi cupiunt. Quemadmodum discipulis prius aquae bajulum sequuntur, antequam in hac domo coenam Paschalem Eucharistiae typum cum Christo celebrent: sic nemini nisi baptizato ad Eucharistiae perceptionem aditus patet. Quia verò Baptismus non solum in vera, sed etiam falsa Ecclesia administrari potest, ideò notandum, quòd Christus non imponat hydrophoro officium parandi Pascha, sed eam in rem discipulos suos ad domum illam ablegat, Petrum sc. à petrae firmitate & Johannem à gratia denominatum: sic veram Ecclesiam inventuri sequamur ductum Petri & Johannis, h. e. verbi Prophetici & Apostolici, vera enim Ecclesia est extruenda super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, h. e. super doctrinam Prophetarum & Apostolorum in scriptis eorum adhuc hodie sonantem Eph. 2. v. 20. Ap. 2. 1, 14. Petrus ad petram Christum nos remittit Matt. 16. 16. 1. Pet. 2. v. 5. Johannes gratiam Dei in missione Filii demonstratam perpetuo inculcat 1. Joh. 4. v. 9. & 10. firmam igitur fide Petrus Christo adherere, gratiam in Evangelio oblatam amplecti, & doctrinam Apostolorum unice inniti nos oportet, si ad hanc domum perducatur, h. e. veram Ecclesiam invenire cupimus. Quemadmodum Petrus & Johannes non nisi missi à Christo abeunt & Pascha praeparant: sic doctores Ecclesiae aeterni mysteriorum divinarum in hac domo constituti 1. Cor. 4. v. 1. non nisi divinitus missi praedicare debent Jer. 23. v. 21. Heb. 5. v. 4. Quemadmodum Petrus & Johannes solum Christi verbum sine ulla additione ac diminutione patrisfamilias nunciant: sic Ecclesiae doctores Christi verbum, non humana somnia, non traditiones humanas, praedicare debent Matt. 23. 20. 1. Pet. 4. 11. Quemadmodum Petrus & Johannes hoc loco Pascha praeparant: ita Ecclesiae ministri sunt dispensatores Sacramentorum divinitus constituti 1. Cor. 4. v. 1. ac per praedicationem verbi & dispensationem Sacramentorum Christo in cordibus hominum hospitium praeparant. Sicut in hoc coenaculo abrogato veteri Paschate Christus novum instituit Sacramentum: sic in Ecclesia N. T. abrogatis legalibus sacrificiis & Sacramentis nova dispensantur mysteria. Quemadmodum omnibus prius per discipulos praeparatis Christus venit & Pascha cum suis celebrat: sic qui sermonem Christi per eundem Legatos sibi annunciatum audit, eiq; per fidem locum concedit, ad illum venit Christus & mysticam coenam cum ipso celebrat Joh. 14. v. 23. Ap. 3. v. 20. Quemadmodum in hac domo Apostoli postea acceperunt Spiritum sanctum (ut superius ex Beda & aliis probabiliter ostendimus) Act. 2. 4. sic in Ecclesia distribuuntur credentibus Spiritus sancti charismata quem mundus non potest accipere Johan. 14. v. 17. Quemadmodum in hoc coenaculo non solum erant Petrus Johannes & reliqui genuini Christi discipuli, sed etiam Judas proditor: sic Ecclesiae in hac vita admixti sunt hypocritae, qui eisdem cum vere fidelibus Sacramentis utuntur. Quemadmodum Christus hanc domum contra proditorias Judae molitiones & manifestas Pontificum persecutiones tuetur, ne vel Paschatis celebrationem vel Eucharistiae institutionem impedire possint: sic Christus ad dextram Dei exaltatus divinam suam virtute Ecclesiam suam in medio hostium & apostatarum conservat, ut ipsis frustra contranitentibus maneat divini cultus officina. Quemadmodum haec domus postea conversa est

est in templum: sic Ecclesia in his terris militans aliquando in caelis erit *templum Domini*, vel potius *Dominus ipse erit templum illius* Ap. 2. 1. v. 23. & c. 3. Per aquam in hydria fervuli ad domum hanc abeuntis, quidam intelligunt aquam lacrymarum, quia poenitentia ad dignam Eucharistiam in hac Dei domo, h. e. in Ecclesia instituta communionem requiritur: quidam aquam devotæ orationis, quæ itidem dignè communicantibus necessaria. Sed si præter figuram Baptismi in hac aqua aliquid mysterii quaerere cupimus, commodè per eam intelligi potest lex Mosæ in insipida & gravans. Hanc aquam portabant Judæi onerum legalium bajuli, ad quos primò missi sunt Apostoli Act. 13. v. 46. sed Christus loco hujus aquæ in Eucharistia administratione vinum distribuit discipulis, h. e. ipse aquam in inspidam & gravantem convertit in vinum exhilarans & confortans Evangelicæ consolationis Joh. 2. v. 9. Moses est *ὁδοφῶς*, Christus *ὁδοτομος*, quia lex per Mosén data, sed *gnatia & veritas per Christum nobis contigit* Joh. 1. v. 17. Portatur aqua legis in vase fictili, h. e. fragili, quo ostensum fuit ministerium legis in N. T. desitutum. Et aqua bajulus & Apostoli ministri N. T. conferunt se in illas ædes, in quibus Christus Pascha celebrat, hoc est, & legis & Evangelii doctrina debent prædicari in Ecclesia. 4. Denique quia in hoc sublimi cœnaculo, in quo discipuli Pascha parant, Eucharistia à Christo postmodum fuit instituta, eo admonemur, quod anima hoc Sacramentum dignè perceptura, non debeat esse terrenis affixa, sed *sursum ad Dominum* per fidem, preces & devotionem elevata, humilitate præparata & tapetibus virtutum ornata.

In posteriore hujus pericopes parte sequitur *Pascha* præparati celebratio. *Vespere autem facto & cum vespere jam esset, venit cum duodecim, & cum jam esset tempestivum, discubuit ac duodecim Apostoli cum eo.* Hic primò describitur locus, quod scilicet Christus non solum Apostolos ad parandum Pascha Hierosolymam præmiserit, sed etiam celebrandi Paschatos ergò circa vespeream eodem sese contulerit. Magna in hac urbe sibi imminebat pericula, ac Procures ejus in caput suum conjurasse noverat, noluit tamen metu illorum periculorum & insidiarum locum celebrandi Paschatos mutare, sed Hierosolymis & Pascha celebrare & seipsum tanquam verum agnum Paschalem ibidem ad immolandum sistere, ipsi placuit, 1. quia expressâ Dei lege hic locus erat determinatus, cui ut in aliis, ita quoque hac in parte tum propter meritum, tum propter exemplum inter gentes obedientiam præstare voluit. 2. quia mors ipsius erat futura propitiatorium sacrificium pro totius mundi peccatis, ideò noluit alibi Pascha celebrare & mortem obire, quam in loco, in quo Levitica sacrificia erant offerenda. 3. prædixerat ipse *ὅτι ἐνδεχέσθαι* ut *Propheta* per eam *extremam Hierosolymam* Luc. 13. v. 13. Jam verò ipse erat caput & Dominus omnium Prophetarum, quos sanguine suo Hierosolymis effuso ad vitam æternam vivificare voluit. 4. Hierosolyma sita fuit in medietate *ὁ οὐρανὸς*, Hierosolymis ergo mori voluit, ut significaretur, passionis hujus fructum ad omnes homines sese extendere, quò à piis veteribus accommodatur locus Pl. 74. v. 12. *Deus nos operatus est salutem in medio terre.* Hierosolyma in festo Paschatos conveniebant ex omnibus totius mundi regionibus varii populi, per hos voluit

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda.

Christus famam mortis & resurrectionis suæ in totum orbem propagari ac prædicationi Evangelii viam quodammodo præparari. 6. Hierosolymis *Deus habebat suum ignem & focum* Esa. 31. v. 9. h. e. gratiosâ suâ præsentia in templo, ubi sacrificia ipsi offererantur & verbum prædicabatur, erat præsens: Christus igitur Hierosolymis pati & passione suâ agni Paschalis typum implere voluit, quia per eam nos Deo conciliavit, nobisq; impetravit, ut per fidem in *cordibus nostris habitet.* 7. Hierosolyma est *visio pacis*, significatur igitur Christum passione suâ veram animæ quietem nobis impetraturum. 8. Hierosolyma est typus vitæ æternæ, quæ est cœlestis Hierosolyma Apoc. 21. v. 2. significatur igitur, Christum suo ex urbe Hierosolyma ad montem Calvaria urbi vicinum egressu ingressum in cœlestem Hierosolymam nobis promeruisse.

2. *Tempus.* Venit eo, *ὁ ψίλος, ἡ βορῶνης* cum jam esset *vespera.* Quidam existimant, Christum non solum manducandi, sed etiam mactandi prius agni Paschalis causâ Hierosolymam venisse, quia juxta legis constitutionem agnus mactandus erat à patrefamilias cujuslibet domus; in qua Pascha erat celebrandum Ex. 12. v. 3. Jam verò Christus erat paterfamilias suæ domus. Ergo venit, ut non solum manducaret, sed etiam prius mactaret paschalem agnum. Juxta hanc hypothesein dicendum erit, Christum post diei horam nonam, quæ tertiæ nostræ responderet, Hierosolymam venisse, quia Pascha mactandum erat inter duas vespereas Exod. 12. v. 6. hoc est tempore inter horam nonam & undecimam intermedio. Variè quidem à Rabinis & aliis Interpretibus circumstantia illa temporis, *inter duas vespereas*, exponitur 1. R. Nathan, R. Simeon filius Johai, R. Salomon, R. Levi, R. D. Kimchi, R. Moses Gerundensis, Lyranus, Abulensis & c. *Primam vespeream dicunt esse declinationem Solis à meridie versus occasum, secundam ipsum Solis occasum.* Sed illorum sententiam refellit Aben Ezra, cum insolens sit, totum tempus pomeridianum vocari vespeream. 2. Aben Ezra, Oleaster, Jacobus Faber Stapulensis & alii statuunt, *primam vespeream esse Solis occasum, secundam esse initium noctis sive tenebrarum.* Inter has enim intercedit crepusculum, puta aliquid temporis, quo lumen aliquod Solis post ejus occasum in aere adhuc apparet, perinde ut fit mane ante Solis ortum. Hanc sententiam amplectuntur Judæi hodierni & quotquot ab hinc 400. annos ex ipsorum ordine scripserunt, unde definiunt illud tempus duarum vesperearum inter Solem horizoni, Occiduo insidentem, idque vocant *בין השמשותף* & à nostro hemisphærio absentiam, quod ipsis dicitur *בין השמשותף* Una *vespera* (inquit Aben Ezra) est *Solis, altera luminis.* *Solis vespere est tempus, quo occidit Sol & absorbetur super terram. Luminis vespere est lux, splendor, sive irradiatio illa, quæ post occasum Solis in nubibus aliquandiu apparet.* Sed Scaliger lib. 6. de emend. temp. p. 269. rectè monet, intervallum illud adeo angustum esse, ut *συμπληρωμα* non absurdè vocari possit. Adde, quod tempore illo agnus fuerit manducandus. Nam ut constat ex Levit. 23. v. 5. Num 28. v. 16. agnus immolandus erat *die decimâ quartâ* ad vespeream, sed comedendus cum azymis *die decimâ quintâ*, quæ incipiebat à Solis occasu, quo finiebatur *die decimâ quartâ*, ut patet Exod. 12. vers. 6. & 8. Quod si ergo illud tempus comestioni agni

Pppp 3

Pa

Paschalis fuit destinatum, quomodo in illius angustis agnus jugulari, pelle exui, exenterari, purgari, igne assari, manducari potuit? 3. Lipomanus dicit, *tempus inter duas vespervas esse noctem; quæ inter vespervam diei præcedentis & inter crepusculum matutinum, quod dici potest vespera, diei sequentis injecta est.* At qui hac ratione agnus Paschalis non vespere diei decimæ quartæ, sed nocte pertinente ad diem decimam quintam immolatus fuisset, quod Scripturæ repugnat. 4. Sed commodissima est sententia Scaligeri, Cajetani, Masi, Schindleri, Casauboni &c. quod tempus inter horam nonam, quæ respondet nostræ tertiæ pomeridiæ, & horam undecimam, quæ respondet nostræ quintæ, interjectum dictum fuerit duarum vespervarum, sive inter duas vespervas. Duplex enim est apud Judæos ערבא quo diei initium juxta legalem computationem facere solent. Alterum est ab oblatione vespertina, cum jam Sol declinat ad occasum; alterum à Solis occasu, cum jam infra nostrum horizontem descendit. Intervallum oblationis & occasus vocatur in lege הערבim תו עשׂוהו *dua vespera.* Congruit hæc sententia 1. Paraphrasæ Chaldæo, qui agnum maclandum fuisse dicit בין שמשין *inter duos Soles*, declinantem scilicet & occidentem. 2. explicationi traditæ Deut. 16. vers. 6. *Immolabis Pesach in vespera.* כרבת השמש *circa ingredi Solem.* h. e. Sole ad occasum declinante tempore statuto. Hoc non potest intelligi de ipso Solis occasu, sed accipiendum est de declinatione Solis ad occasum, quæ incipit horâ nonâ, quia statim additur v. 7. *Et coques & comedes in loco, quem elegerit Dominus,* jam verò manducatio circa ipsum Solis occasum peragenda, ergo Sole ad occasum declinante maclatio & assatio inchoanda erat. 3. Josepho, qui lib. 7. de bell. Jud. cap. 17. & lib. 16. antiquit. cap. 10. tradit. *ab hora non usque ad undecimam victimas Paschales caedi fuisse solitas.* 4. Phrasî Scripturæ. Matth. 14. v. 15. *Accedentes discipuli ad Jesum & dixerunt ei, desertus est locus & hora jam præterit, dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas.* Hoc non potest intelligi de vespera, quæ cum ipso Solis occasu incipit, quia post Solis occasum non erant dimittendi ad emendas escas, sed accipiendum est de vespera, quam affert secum declinatio Solis ad occasum, unde v. 23. subjungitur, quod ὀψίας γενομένης Christus fuerit solus, ubi manifestè inter duas vespervas distinguitur, in quarum priore turbæ adhuc fuerint cum Christo, in posteriore verò Christus fuerit solus. Sic Num. 28. v. 4. duo agni quotidie immolandi præcipiuntur, unus quidem manè, alter verò ad vesperam. Jam verò constat tempus oblationis vespertinæ fuisse horam nonam Act. 3. v. 1. quâ Sol nondum sub horizontem se abscondit, sed ad occasum duntaxat declinat. Ergo declinatio Solis ad occasum, primam vespervam constituit. 5. antitypo per agnum Paschalem præfigurato. Constat ex 1. Cor. 5. v. 7. maclationem agni Paschalis fuisse typum immolationis Christi in cruce. Jam verò Christus circa horam nonam tempore oblationis vespertinæ in cruce fuit mortuus. Ergo convenientissimè statuitur, quod eodem tempore, typus hujus sacrificii, agnus scilicet Paschalis fuerit maclatus. Juxta hanc hypothèsin (quod Christus non solum manducandi, sed etiam maclandi agni Paschalis causâ Hierosolymam venerit, quodque agnus Paschalis inter horam nonam & undecimam

maclandus fuerit) statuendum foret, Christum adhuc ante horam nonam à Bethania Hierosolymam venisse. Sed monuimus superius, non fuisse necessarium, ut ipse paterfamilias agnum maclaret, verum potuisse etiam alium ipsius nomine hoc peragere. Certè discipuli hoc loco ablegati fuerant ad parandum φαγῶντο πάχα. Utique ergo præparationem Paschatis eò usque perducere debuerunt, ut nihil aliud restaret, quam ut Christus cum reliquis discipulis insecutus ad manducandum accumberet, sicut etiam Evangelistæ disertè dicunt, quod Christus vespere factò veniens non jugulaverit & assaverit Paschalem agnum, sed *accubavit cum discipulis ad illum comedendum.* Cogitari etiam potest, quod Christus ideò præmiserit duos ex discipulis ad parandum Pascha & post Solis demum occasum in urbem celebrandi Paschatos ergò & φαγεῶν ἀπὸ αἰῶν κριπτῶν *Venerit* (quo ferè modo ad festum Scenopogiorum ascenderat Joh. 7. v. 10. ne Pontificibus innotesceret, quibus in ædibus Pascha celebraturus esset, quod juxta legis constitutionem ipse pridè, quàm reliqui Judæi celebrabant, aliàs namque rigidissimi illi traditionum suarum observatores Paschalem illum conventum turbassent. Nec illud prætermittendum, quod Christus absque indice se contulerit ad ædes illas, in quibus Apostoli præmissi Pascha paraverant, quo ipso divinam suam omnificientiam denuò manifestam fecit. Voluerunt autem Evangelistæ hanc temporis circumstantiam addere, ut ostenderent, Christum non solum in loco, sed etiam tempore divinitus constituto Pascha manducasse Exod. 12. v. 6. Levit. 23. v. 5. ut in omnibus legi divinæ propter nos & nostram salutem perfectam præstaret obœdientiam. Quamvis enim manducatio etiam nocte fieri posset Exod. 12. v. 8. modò fieret ante mediam noctem, (quia nocte media terminabatur dies decima quarta, jam verò manducatio fieri debebat durante adhuc die decimâ quartâ v. 18.) proprium tamen manducationis illius tempus erat vespera, posterior scilicet illa, quæ cum Solis occasu incipit, circa quam lux tenebris & dies nocti miscetur, quo tempore etiam Christus cum discipulis manducavit.

3. *Comisatus, Vespere factò ἐρχεται, venit* sive accedit Christus ad illud hospitium *cum duodecim.* Quidam Codex Græcus, ut & Syrus Paraphrastes addunt vocem μαθητῶν, sed si vel maximè non addatur, tamen juxta usitatum Scripturæ morem subintelligenda erit Matt. 46, 14, & 47. Marc. 4, 10, &c. At quomodo potuit Christus venire μετὰ τῶν δώδεκα cum duodecim illorum numero, Petrus scilicet & Johannes jam antè præcesserint. Quidam respondent, decem illos, quos Christus in comitatu secum adduxerit, *duodecim* vocari secundum numerum Apostolatus, quia juxta ordinationem & institutionem divinam duodecim erant Apostoli, perinde ut etiam duo Electores dicuntur *Septemviri*, cum tamen totum Electorum Collegium septem personis constet, quò etiam accommodari possent regula, quod ex usu Scripturæ maxime nomen totius per quandam synecdochen retineat. Congruit hæc explicatio phrasî Scripturæ Luc. 24. v. 33. Joh. 20. v. 24. 1. Cor. 15. v. 5. sed verisimilius arbitramur, quod Petrus & Johannes, postquam necessaria omnia parassent, agno ad ignem assando post se relicto, Hierosolymâ Bethaniam redierint, ac Christo & Collegis suis re-

turn.

nunciaverint, omnia ex animi sententia successisse, omnia, prout prædicta fuerant, evenisse, omnia, jam esse instructa & parata, neque aliud quicquam restare, quam ut ad Pascha celebrandum eo sese conferant, hoc enim nuncio timidiore discipuli fuere animati & confirmati, ut in urbem sanguinariam cum Christo sese conferre non reformidarint. Exprimatur autem hic discipulorum numerus 1. ut significetur, Christum etiam hac in parte legi divinæ sese obsequentem præbuisse, quia legis præscriptum requirit, ut pater familias non solus, sed cum suis domesticis agnum Paschalem manducet Ex. 12. v. 3. Jam verò Christi domestici & quasi familia ipsius fuerunt discipuli, quos proinde ad agni comestionem adhibet. 2. ut intelligamus, nullum discipulorum abfuisse, cum Christus Pascha celebraret. Quia enim post Paschalis agni manducationem Christus institutus erat novum N. T. Sacramentum, sacram scilicet Eucharistiam, ideo omnes suos discipulos Paschalis agni comestione & consequenter Eucharistia institutioni atque administrationi interesse voluit, ut de hoc mysterio tum vivâ voce, tum scriptis tanquam *αὐτῶν μαρτυροῦντες* testes infallibile testimonium ferre possent, utque omnes valedictorum & consolatorum sermonem in cœnaculo habendum audirent, quippe quo contra imminens scandalum & futuras adversitates, omnes æquè indigebant. 3. ex quo porro colligitur, etiam Judam proditorem, qui jam tum de nefario proditoris scelere cum Pontificibus pactum inierat, in comitatu Christi fuisse, id quod ex sequenti Evangelistarum relatione clarissimè apparet. Expicitur autem in eò tum Diabolica proditoris hypocrisis, quod *omnia sic agit, ut collatur suspicio proditoris*, ut Hieronym. in cap. 26. Matth. loquitur, tum stupenda ejusdem impudentia, quod non fuerit veritus in Christi conspectum prodire & discipulorum consortio sese aggregare, suspicans vel Christum occulti hujus sceleris ignarum esse, vel (quod verisimilius, cum Christi omniscientiam ex hac ipsa ablegatione modo intellexerit) Christum ob insignem animi manuetudinem illud cæteris discipulis non manifestaturum. 4. Quia tantummodò duodecim Apostolorum fit mentio, ex eo satis probabiliter colligi potest, nec septuaginta discipulos, nec alios fideles præter Apostolos Christo adfuisse, cum Paschalem cœnam celebraret, & Sacramentum Eucharistia institueret. Euthymius quidem asserit, *etiam alios cum Christo accubuisse*. Sed legis præscriptum requirebat, ut quælibet familia suam haberet agnum, ad quem non admitteretur extraneus, nisi quando domesticorum numerus ad agnum absumendum non erat sufficiens, jam verò tredecim personæ agno anniculo absumendo videntur potuisse sufficere. Et sanè Evangelistæ hoc sine numerum eorum, quos Christus in comitatu secum habuit & cum illis ad Pascha celebrandum accubuit, tam accuratè exprimere videntur, ut significant non solum quòd omnes Apostoli præstito fuerint, sed etiam quòd præter ipsos nemo alius adfuerit. Incertum insuper est, an occulti discipuli Christi juxta legis præscriptum eodem die cum Christo, an verò communem temporum illorum errorem secuti, postero demum die cum Judæis Pascha celebraverint. Nicodemus & Josephus Arimathæus eo die.

HarmTom. II, vel Gerbard. Contin. pars secunda.

quo Christus Pascha celebraverat, emerunt unguenta ac sindonem & Christi crucifixi corpus de cruce tulerunt & unctum sepelierunt Marc. 15. v. 46 Luc. 23. v. 53. At non videntur hoc facturi, si eodem die cum Christo Pascha celebrassent. Sed & mulierculæ sanctæ eo die, quo Christus paschatizaverat, unguenta emerunt ac parârunt, ut posttridie secundum legem quiescerent Luc. 23. v. 56. Ergo nondum illo die Pascha celebraverant.

4. Ipse actus sive esus *τοῦ ἁγίου* ἔσθης ἐπὶ τῷ ἁγίῳ, cum adesset hora, hoc est, tempus agni Paschalis esui constitutum, quod fuit vespera (Vulg. non satis commodè reddidit, *cum facta esset hora*) ἀπέκτο τοῦ ἁγίου ἀπέκτο discubuit, accubuit, & duodecim Apostoli cum eo, videlicet ut cum illis Paschalem agnum manducaret. At quomodo id convenit ordinationi divinæ, in qua agnus Paschalis hac ratione comedendus præcipitur Exod. 12. v. 11. *Renes vestros accingetis & calcamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter?* 1. Quidam Græci eo colligere voluerunt, Christum eo anno non manducasse agnum Paschalem. Theoph. incap. 26. Matth. *Ex hoc putant quidam, quòd hoc anno Dominus non comederit Pascha, dicunt enim, quòd stantes comedebant agnum, Christus autem recubens tradidit suum Sacramentum*. Euthymius ibid. uberioribus ipsorum argumenta recenset. *Quidam* (inquit) *hinc affirmant, non comedisse tunc Christum legale Pascha, & causas adducunt, quòd decimus tertius tunc dies mensis esset, oportebat autem decimo quarto Pascha comedere: quòdque lex stantes edere juberet, ipse verò discubuit. Præterea omnis panis fermentatus ante immolationem abjiciebatur, nunc autem & panis adesset & dividitur. Ad hæc assatum tantum edere fas erat, hic verò etiam jus, quò intingatur panis, apponitur. Addunt alii, quòd tardius à Christo hoc præceptum de præparando Paschate Apostolis datum fuerit, cum die 10. mensis primi agnus debuerit separari, quòdque numerus Apostolorum minor fuerit quàm ut agnum anniculum comederent. Sed hæc opinio repugnat disertis Evangelistarum verbis, dicunt enim Christum venisse cum duodecim & accubuisse, nimirum ut Pascha manducaret, quippe ad quòd præparandum discipulos ablegaverat; dicunt insuper, Christum hæc inter cætera verbis ad discipulos usum. Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum. Ac urgentissimas Christus habuit causas, propter quas Pascha etiam isthoc anno comedere voluerit, videlicet tum ut legi divinæ illo ipso die Pascha celebrare præcipienti perfectè satisfaceret, tum ut agnum illum Paschalem esse typum veri sui sacrificii in ara crucis mox offerendi demonstraret, tum ut abrogato V. T. Paschate novum N. T. Sacramentum eidem substitueret, unde rectè scribit Chrysostr. serm. de prodit. Judæ. *Ille agnus futuri agni typus fuit, & ille sanguis Dominici sanguinis monstrabat adventum, & ovis illa spiritualis ovis erat exemplum. Ille agnus umbra erat, hic veritas & c.* Ideo in ipsa mensa utrumque Pascha & typi & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigiis quibusdam adumbrare consueverunt, & sic colorum varietate perficere: ita & Christus fecit in mensa & typum Pasche descripsit, & Pascha veritatis ostendit. Ac paulò antè: *Cur Christus Pascha Judaicum manducavit? scilicet, quia omnia, quæ sunt legis, implevit. Nam quando baptizabatur, dicebat: Sic decet nos implere omnem**

Rppp 4

justi-

justitiam. *Veni, inquit, de legis maledictione eximere homines. Nam Deus misit Filium suum, natum de muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & ipsi legi requiem daret &c.* Non ergo possumus nec debemus illam Græcorum opinionem, cujus autorem nominant Villagonium, approbare, quid autem ad ejus fundamenta respondendum sit, partim ex dictis manifestum, partim ex dicendis cuilibet apparebit. Euthymius eisdem respondet, sed ita ut errorem errore refellere, h. e. lutum luto purgare conetur. Dicit enim, *Christum tempus Paschatis dispensatim uno die anticipasse ac decimo tertio die rebus aliter non finientibus Pascha edisse, quâ ratione Christus ὡς ἑβραίων non ὡς ἁγίων τὸ νόμος statueretur.* Sed hac de rein c. 166. uberiùs egimus. 2. Plerique respondent, partem illam præcepti, quod stantes agnum comedere debeant, tantum ad primum Pascha pertinuisse. Cajetanus ad h. l. Tremellius in not. Matth. 26. Scalig. lib. 6. de emend. temp. p. 270. *Jam ab exilio Babylonico, inquit, desierat procinctus ille in lege præscriptus, & ut pleræque alia immutatus erat à Nomodidascalis.* Idem statuunt Baronius ann. 34. n. 41. Beza in c. 26. Matth. Bucanus in loc. p. 587. Probant hanc opinionem ex eo. Primò quod ratio hujus constitutionis tantum in primo Paschate locum habuerit: *Sint lumbi vestri procincti, tanquam itineri accinctorum, sint calceamenta vestra, in pedibus vestris, & baculus vester in manus vestras, qui solet esse habitus eorum, qui jamjam iter ingressuri sunt, & comedetis festinanter vel in festinatione, quia transitus ipse Domini, h. e. ideo festinandum vobis erit, quia parum temporis superfuturum Domino per Ægyptum transeunte, vosque, percussis priùs Ægyptiorum primogenitis, ex eâeducturo.* Secundò quod in repetitione præcepti de Paschate, quotannis renovando illæ Ceremoniæ non requirantur. Tertiò quod omnes Hebræi tùm antiqui, tùm recentiores doceant, mandatum de inducendis calceis, cingendis lumbis, sumendis baculis & cum festinatione comedendo agno, non se extendisse ad generationes secuturas, sed tantum fuisse illius noctis, quâ egressuri erant ex Ægypto. In libro פסחא קדוש qui pluribus annis Christo antiquior, sic legitur: *Quam diversa hac nox à cæteris noctibus. Quod in aliis noctibus semel tantum lavamus, in hac autem bis. Quod in reliquis noctibus comedimus sive fermentum, sive azymum, in hac autem omnino azyma. Quod in reliquis noctibus vescimur oleribus omne genus, in hac autem intybis. Quod in omnibus noctibus tam edentes quàm bibentes, vel sedemus, vel discumbimus, in hac autem omnes discumbimus.* In Thalmud. tract. de Pasch. antiquissima traditio commemoratur, quod in signum libertatis adeptæ manducaturi Pascha discumberent. Sed cum Dominus in repetitione præcepti de Paschate celebrando, altero post egressum ex Ægypto anno tradita, requirat, ut faciant juxta omnia statuta ejus Num. 9. v. 33. cumq; spiritalis illarum Ceremoniarum significatio fuerit perpetua, ideo probabilius statuitur, Ceremonias illas in annua Paschatis celebratione non minus, quàm in primo Paschate adhiberi debuisse. Ac si vel maximè Judæi post captivitatem Babylonicam ab hoc præscripto legis recessissent, sicut etiam in tempore hujus festi à lege Dei recesserant, tamen Christus legem Dei potius, quàm receptam consuetudinem secutus procul dubio stans agnum,

Paschalem cum discipulis comedit, atque hoc ipso habitu significavit, se jamjam ex hoc mundo transi-turum, ut Johannes c. 13. v. 1. & nomen Paschatis & habitum celebrantium Pascha mysticè interpreta-tur. 3. Quidam statuunt, præceptum de inducendis calceis, cingendis lumbis, baculis in manibus gestandis, & agno cum festinatione manducando, non pugnare cum accubitu, sed potuisse illud æg; à sedentibus vel accumbentibus, quàm à stantibus impleri. Sed habitus ille viatoris, qui à manducantibus agnum requiritur, omnino eò tendit, quod stantes manducare debeant agnum. Neq; enim sedentes vel accumbentes ad iter sunt parati & in-procincti, sed stantes. 4. Quidam existimant, verbis ἀνακινῶν & ἀνακινῶν non necessariò significari, quod Christus accubuerit seu jacerit inter cœnandam, sed quod Paschalem cœnam celebraverit. Cum enim in omnibus prandis ac cœnis Judæi vetustiores accumbere soliti fuerint, inde factum esse, ut mutatâ posterioribus temporibus accumbendi consuetudine nomen adhuc retineretur, ac illis etiam tribueretur, qui vel sedentes vel stantes cibum capiebant, sicut etiam hodie mensæ accumbere linguâ Latinâ dicuntur, qui cibi causâ eidem affident. Sensum igitur esse, quod Christus ad mensam accesserit ac cœnaverit, ut non exprimat, quo corporis situ cœnaverit, sed ex legis divinæ præscripto intelligendum relinquatur, quod stans agnum Paschalem manducaverit. Possit huic sententiæ probabilitas quædam conciliari ex eo, quod verbum קָמוּ quo Syrus hoc loco utitur, sit generale, & stanti & sedenti vel accumbenti conveniens, significat enim *innixum esse vel baculo inter standum, vel lecto, inter accumbendum.* Sed vix poterit idoneo aliquo exemplo generalis illa significatio verborum ἀνακινῶν & ἀνακινῶν probari. Quamvis enim quidam existimant, Judæos temporibus Christi inter cœnandum sedere fuisse solitos, non autem accumbere, illud tamen non satis congruit cum propria verbi *accumbendi* significatione, quo situs convivantium passim in Historia Evangelica describitur Matth. 9. v. 10. cap. 22. v. 10. cap. 26. v. 7. Marc. 16. v. 14. Luc. 7. v. 37. ex eo enim manifestum, Judæos tum temporis non sedentes, sed accumbentes cibum summisse, sive morem illum à Romanis, à quibus subjugati erant, acceperint, ut vult Petrus Ciaccopus, sive antiquissimis seculis apud ipsos in usu fuerit, quod verisimilius est, ut colligi potest ex Ezech. 23. vers. 41. Amos 11. v. 8. unde Onkelos verbum Hebræum מִשָּׁבַח quod Mosès de fratribus Josephi cum ipso convivantibus usurpat Genes. 43. vers. 33. reddidit per מִשָּׁבַח quod Syris est *accumbere.* At nisi Christus in cœna Paschali accubisset, quomodo discipulus, quem diligebat, in ipsius sinu recumbere potuisset Iohan 13. v. 23. Quidam huc referunt, quod cœnaculum, in quo Christus cœnam Paschalem celebravit, dicatur stratum, videlicet lectus, in quibus discumberant ad cœnandum. Sed ostendimus superius, hoc non incongruè ad pavementum lapidibus stratum referri posse. 5. Simpli-cissimè igitur respondetur, in celebratione Paschatis duplicem cœnam Judæis fuisse usitatam, primò quidem *Sacramentalem*, in qua agni Paschalis carnes assas cum panibus azymis & intybis comedebant, deni scilicet vel viceni. Deinde *vulgarem*, in qua etiam alios cibos, quilibet pro modo

facul.

facultatum, apponebant. Ac priorem quidem *stans*, posteriore verò *accumbentes* ipsos celebrasse. Quando igitur Evangelistæ dicunt, *Christum accubuisse cum duodecim*, sensus est, vel quod post esum agni Paschalis ad vulgarem cœnam accubuerit, vel quod primùm quidem accubuerit, mox verò cum agnus assatus cœnaculo inferretur, surrexit & stans eum comederit, ac finito hoc sacro rursus accubuerit, ad vulgarem cœnam sumendam Joh. 13. v. 2. eâ fermè peractâ iterum à mensa surrexit ad lavandos discipulorum pedes v. 4. quibus lotis rursus accubuit v. 12. inq; hoc suo accubitu tum Eucharistiam administravit, tum bonam partem sermonis sui valedictorii ad discipulos habuit. Sic ergo Christus Hierosolymam veniens *cum discipulis suis accubuisse* dicitur, nimirum quia accumbendi situs in hac postrema cœna universim cum omnibus partibus & actibus sumta fuit diuturnior, interim ex legis divinæ præscripto, cuius Christus observantissimus, intelligendum relinquitur, quod stans Paschalem agnum cum discipulis suis comederit. Videmus igitur. 1. Christum legem de Paschalis agni esu exactissimè observasse, ut nostri loco legi sese subjiceret & à maledictione legis nos liberaret Gal. 4. 4. qui est finis hujus facti primarius, simulq; perpetuum obœdientiæ exemplum nobis relinqueret, qui est finis hujus facti secundarius. 2. Quemadmodum enim Christus non passus fuit metu periculorum in urbe sibi imminentium se deterreri, quo minùs juxta divinæ constitutionis regulam Pascha celebraret: sic è tramite obœdientiæ Deo & ipsius verbo debita nullis periculis vel minis nos revocari patiamur. 3. Præterea Christus cum discipulis suis vetus Pascha celebrans commendat nobis usum Sacramentorum N. T. quæ quò augustiora & digniora sunt V. T. Sacramentis, eò majoris à nobis debent aestimari & majori cum reverentia crebrò usurpari. 4. sicut Christus in sanguinaria Hierosolyma hospitium invenit, in quo cum suis Pascha celebrare possit: sic Ecclesiæ suæ Deus in hoc mundo parat hospitium, in quo verbum prædicari & Sacramenta administrari possint. 5. sicut huic hospiti nihil adversi vel incommodi ex eo obvenisse legitur, quod Christo ac discipulis ejus hospitium in ædibus suis concesserit: sic Dynastia hujus seculi, qui in Christo & Evangelio ejus in suis ditionibus locum præbent, Christum fidelem defensorem & benignum remuneratorem experientur. 6. procul dubio verò Christus in celebratione Paschalis cœnæ non solum agnum illum Paschalem assatum & in mensa appositum ut lucidissimum passionis suæ proximè instantis speculû intuitus est, & in eo omnia sua tormenta quasi agnovit, sed etiam typum hunc discipulis suis accuratè exposuit, cû illo ipso die umbræ veritas & imaginis corpus in immolatione Christi veri illius Agni & in institutione Eucharistiæ succedere deberet. Applicatio illa typi ad antitypum est vel *generalis* vel *specialis*. In genere notandum 1. Quemadmodum Moses non potuit Israeliticum populum ex Ægyptiaca servitute educere, nisi prius agnus Paschalis immolaretur & sanguine illius superliminaria & postes ædium illinerentur, ut sic agni sanguine populus ab exterminatore Angelo & persecutore Pharaone liberari videretur: sic lex Mosaica neminem potest ab infernali captivitate liberare, sed unicè hoc Christo vero illi agno Dei pro peccatis humani ge-

neris in cruce immolato competit. 2. Quemadmodum agno immolato statim secutum fuit complementum divinarum promissionum: sic in Christo propter peccata nostra mortuo & propter justificationem nostram resuscitato Rom. 4. v. 25. omnes Dei promissiones sunt val & *ἀληθ* 2. Cor. 1. v. 20. 3. Quemadmodum agni Paschalis mactatio & manducatio fuit mysterium, non ex humana ratione sed ex divina institutione dijudicandum, sic Christi in cruce oblatio, & corporis ac sanguinis ejus in Eucharistia distributio per agni Paschalis mactationem & manducationem præfigurata est maximum mysterium, de quo unicè ex verbo judicandum. In specie distinctè considerari possunt 1. *materia sive res terrene* hujus Sacramenti 2. *Sacramentalis actio* circa eam occupata. Materia est agnus mactatus, anniculus, immaculatus Exod. 12. v. 3. Per *agnum* denotari Christum patet ex Esa. 53. v. 7. Joh. 1. v. 29. & 36. Act. 8. v. 32. 1. Cor. 5. v. 7. 1. Pet. 1. v. 19. Apoc. 5. v. 6. & c. unde quod de agno Paschali dicitur Exod. 12. v. 46. *os non comminuetis ex eo*, à Johanne ad Christum in cruce pendentem accommodatur Joh. 19. v. 36. Confertur autem Christus agno propter innocentiam, patientiam, mansuetudinem, ac typos V. T. non solum in agno Paschali, sed etiam agnis illis, qui quotidie mane ac vesperi in sacrificium offerebantur Num. 28. v. 3. quin & in ariete, quem Abrahamus loco Isaaci obtulit Genes. 22. & 13 & hirco emissario peccata Israelitarum in desertum portante Levit. 16. v. 21. propositos. Faber Stapulensis in cap. 26. Matth. addit quod *agnus naturaliter in medio pedum tum anteriorum qui loco manuum sunt, tum posteriorum habeat quasi figuræ clavorum, quibus Salvator in manibus ac pedibus clavus confixus depingatur*. Agnum oportuit esse *mactatum*: sic Christus est vir ille, per quem salus humano generi præstita Jer. 31. v. 22. quod nomen non solum ratione sexus, sed etiam roboris & virtutis impli competit. Agnum oportuit esse *anniculum* in perfecto ætatis statu: sic Christus in ipso ætatis flore, anno 34. currente immolatus est. Agnum oportuit esse *immaculatum*, integrum & perfectum: sic Christus immunis est ab omni peccati tum originalis tum actualis macula Esa. 53. v. 9. 2. Corinth. 5. v. ult. 1. Pet. 2. v. 22. Hebr. 7. v. 26. unde vocatur *agnus ἀμωυ* & *ἀσπιλ* 1. Pet. 1. v. 19. Immaculata mundities arguit sanctitatem sacrificii pro nobis præstiti, ætatis perfectio ejusdem absolutissimam perfectionem. 2. *Sacramentales actiones* circa materiam hujus Sacramenti sunt quatuor, *segregatio agni, ejusdem mactatio, assatio & manducatio*, ad quam pertinet *asperio sanguinis in superliminari*, ubi tamen notandum, quod segregatio, mactatio & assatio fuerint actus preparatorii sive *ministeriales* in servientes manducationi, quæ fuit *principalis* actus Sacramentalis. 3. *Segregatio* fiebat die decimâ primi mensis Nisan, qui nostro partim Martio, partim Aprili respondet Exod. 12. v. 6. Sicut agnus Paschalis ex communi grege petebatur, sic CHRISTUS ex genere humano veram carnem assumpsit Hebr. 12. vers. 14. *habitu ut homo fuit inventus* Phil. 2. v. 8. Sicut agnus die decimâ primi mensis segregabatur: sic Christus eodem die Hierosolymam solenniter est ingressus, & quidem per eandem portam, per quam agni & oves ad sacrificia duci solebant. Sicut agnus per segregationem illam mactationi destinabatur, sic Christus per solennem illum

illum ingressum à reliquis hominibus utpote peccatoribus separatus Hebr. 7. v. 26. seipsum in victimam pro peccatis mundi obtulit. Sicut agnus segregatus funibus constringebatur & toto quadriduo in ædibus Israelitarum ligatus jacebat, ut de hoc agno Rabini memorant: sic Christus non solum sanctæ obædientiæ vinculis, sed etiam externis funium nexibus propter nos constrictus fuit. Potest etiam illud quadriduum accommodari ad quadriennium ministerii Christi in his terris exacti. Christus enim non primo statim ministerii anno ad mortem fuit abreptus, sed in quartum usque annum per miracula & immaculatam vitæ sanctitatem ab omnibus hominibus sese separavit, leq; singularem illam personam in ara crucis pro peccatis mundi offerendam esse ostendit. Quod si & nos mysticum Pascha digne celebrare cupimus, requiritur, ut per fidem & sanctam vitæ conversationem à mundo nos segregemus, non quidem passibus corporeis, sed affectu mentis Rom. 12. v. 2. Cor. 6. v. 17. 2. Die decimâ quartâ ejusdem mensis agnus mactabatur, atque ita quidem ut è corpore deducto & expanso copiose efflueret sanguis Exod. 12. v. 6. hæc omnia in figuram sunt instituta. Quemadmodum enim circa vesperam diei 14. quæ juxta legalem computationem ad diem sequentem 15. pertinebat, agnus sanguine largiter effuso fuit mactatus: sic eo ipso die 15. primi mensis Christus verus ille agnus Dei largissime effudit sanguinem, non solum in monte oliveti & in prætorio, sed etiam in ara crucis, in eadem propter peccata humani generis immolatus, inde Eugubinus in c. 12. Ex. Masius in c. 9. Jos. Fagius in c. 12. Ex. adducunt Cabalam Judæorum: *In eadem die videlicet 15. mensis Nisan redimendus est Israel in diebus Messie, quemadmodum redempti sunt eo die, de quo scribitur, in diebus egressus tua ex Ægypto ostendam mirabilia. Quemadmodum agnus mactabatur in mense Nisan, qui vocatur mensis novorum Exod. 23. v. 15. propter novas fruges: sic Christus illo mense in cruce immolari voluit, quia novum erat ac mirabile Deum in cruce mori, & quia morte sua omnia fecit nova 2. Corinth. 5. v. 17. Quemadmodum agnus Paschalis mactatus fuit in plenilunio: sic filius Dei in plenitudine temporis ex virgine natus in cruce fuit immolatus Galat. 4. v. 4. ac morte suâ Ecclesiam velut Lunam gratiâ & maximis beneficiis implevit. Quemadmodum agnus non in quocunque plenilunio, sed eo, quod proximè sequebatur æquinoctium vernum, fuit mactatus, quando scilicet hyems jam transit & dies noctem superare incipit: sic Christi verè illius agni in cruce immolatio sævam peccati hyemem abstulit Cant. 2. v. 8. ac lætissimum verè divinæ gratiæ humano generi reduxit, in quo lux justitiæ peccatorum tenebras cœpit fugare ac superare. Die festo immolatus est agnus, die festo etiam immolatus est Christus, quia Christus morte suâ lætam festivitatem & festivam lætitiâ nobis præparavit. Quemadmodum agnus mactabatur circa vesperam inter duas scilicet vespas, ut Moses loquitur Exod. 12. v. 6. sic Christus circa horam mundi novissimam 1. Cor. 10. v. 12. 1. Petr. 1. v. 20. 1. Joh. 2. v. 18. in cruce immolari voluit, quin & incipiente primâ vespere, horâ scilicet nonâ quæ responder nostræ tertiæ, in cruce expiravit Luc. 22. v. 44. quo tempore sacrificia Levitica mortis hujus figuræ in templo offerri solebant Act. 3. vers. 1.*

Quemadmodum agnus mactabatur tempore eo, quo agri novis frugibus & prata floribus fuere ornata: sic Christus in cruce immolatus agrum Ecclesiæ floribus virtutum & frugibus beneficiorum ornavit. Quemadmodum agnus Paschalis non mactabatur alio fine, quàm ut manducaretur: sic Christus ideò in cruce mortuus est, ut per spirituales manducationem, h. e. per fidem beneficiorum suorum nos participes faceret, ac nos sibi incorporaret. Quod si & nos mysticum Pascha digne celebrare cupimus, requiritur, ut *vetus noster homo cum Christo crucifigatur ac corpus peccati destruat* Rom. 6. v. 6. atque ut *corpora nostra exhibeamus hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Rom. 12. vers. 1. 3. Agnus Paschalis non solum fuit mactatus, sed etiam assatus. Per hanc assationem Christi crucifixionem designari docet Justinus in Dial. cum Tryph. p. 200. *Agnus ille, inquit, de quo ut assusurus fieret, præceptum est, supplicii crucis, quod subiturus erat Christus Symbolum & nota fuit.* Agnus namque assus in figuram cruci similem, conformatus ad ignem torretur, nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur, & aliud rursum secundum scapulas, ad quod suspenduntur manus agni & c. Sic ergo veru stipitem crucis, bacilli verò, quibus in volas pedum anteriorum & posteriorum adactis iidem distendebantur, transversum lignum: sic clavos in manus ac pedes Domini infixos præfigurabat. Quemadmodum agnus igne torrebatur: sic Christus duplici igne assatus fuit, videl. tum igne iræ divine, quando in horto oliveti sanguinem sudorem profunderet, & in cruce à Deo se derelictum esse clamaret, tum igne amoris interioris Cant. 8. vers. 6. Ilidorus Pelusiotâ lib. 1. Epist. 219. *Igni assas agni carnes edebant Hebræi magnum divina incarnationis mysterium per hujusmodi esum typicè adumbrantes, ac Dei agnum prædicentes, qui divine essentia ignem modo sermone omni præstantiore cum eâ carne connectit, que nunc à nobis editur, vitiorumq; remissionem affert.* Quod si & nos mysticum Pascha digne celebrare cupimus, requiritur, ut fidei & dilectionis igne corda nostra succendantur Luc. 24. v. 32. utq; tribulationis ignem patienter feramus 1. Pet. 4. 12. & c. 4. Assationem sequebatur agni manducatio: ita quoq; Christi in ara crucis immolati corpus & sanguinem tum sacramentaliter in Eucharistia, tum spiritualiter per fidem manducamus ac bibimus. Quemadmodum omnes filii Israel ex agno Paschali manducabant: sic beneficia Christi fide percipiendâ omnib; sunt necessaria. Quemadmodum universa multitudo filiorum Israel immolabat agnum, interim tamen in singulis familiis mactatio peragebatur Ex. 12. v. 3. & 6. sic beneficia Christi toti quidem humano generi parva sunt, interim tamen in Ecclesia eadem solummodo dispensantur. Quisquis ergo eorum particeps reddi desiderat, eum oportet esse membrum familiæ Christi, h. e. Ecclesiæ. Quemadmodum ad agni manducationem omnes domesticos convenire oportebat: sic fraterna dilectio requiritur ab iis qui Christo & beneficiis ejus in verbo & Eucharistiæ Sacramento oblati frui expetunt. Procopius Gazæus in cap. 12. Exod. *Quid aliud est congregari per familias, quàm unamquemque nostrum sic ad hanc mensam accedere, ut nullo rancore, odio, simultate ab eo, qui ejusdem secum familie CHRISTI est, dividatur, sed sine quasi unius resti? Nam cum omnes ad hoc ut summum dilectionis pignus*

*ignis veniant, quomodo ab invicem divisi accedent? Quemadmodum vicini allumendi erant, si minor esset numerus domesticorum in una familia, quam ut sufficere posset absumptioni agni Exod. 12. v. 4. sic quia Judæorum numerus minor erat, vocati sunt ad regnum Christi etiam vicini ac peregrini, h. e. gentiles, qui prius erant hospites & advene, jam verò facti sunt domestici Dei Ephes. 2. v. 19. Quemadmodum, carnes agni non crudas nec coctas, sed assas comedere oportebat: sic Christum nemo spiritualiter manducat, nisi qui peccatis moritur, & igne tribulationis excoquitur & fervore fidei ac dilectionis inflammatur. Assatum Christum comedunt, qui in vera pœnitentia agnoscunt, ipsum igne iræ divinæ propter nostrâ peccata in se suscepta & amoris flammis in cruce fuisse succensum. Crudum comedunt, qui sine vera pœnitentia, sine agnitione ac sensu iræ divinæ, sine detestatione peccatorum, sine mortificatione veteris hominis beneficiis Christi perfrui expetunt. Qui enim Epicuræam & impiam agunt vitam, illos crudè & securè vivere vulgò dicimus. Coctum aquâ comedunt, qui carnales de Christo opinioniones fovent, qui traditionibus humanis & corruptelis errorum sinceram verbi doctrinam corrumpunt, ut caupones vinum aquâ diluunt Esa. 1. v. 22. 2. Corinth. 2. v. 16. qui rationis & sapientiæ humanæ instar aquâ diffluentis cogitationes in rebus fidei sequuntur. Quemadmodum agnus totus erat comedendus. Exod. 12. v. 9. *Caput cum pedibus ejus & intestinis manducabitur* (Verbum manducabitur non est in textu Hebræo, inde quidam referunt ad afflationem. *Caput super crura ejus & super intestinum ejus* scilicet afflabitur, ut significetur, agnum non esse affandum in plures partes concisum, sed integrum. Ita ut caput maneat junctum ventri & sit super genua. Atqui in illo versiculo non amplius agitur de afflatione, sed de manducatione, ideo Chaldaus Paraphrastes, LXX. Interpp. & Latina versio rectè addiderunt verbum *manducabitur* quod *דורו כוונתו* ex priorè hujus versiculi parte repetendum) sic verâ fides totum Christum cum omni suo merito & omnibus beneficiis amplectitur, nec separat vitam à doctrina Christi, sed Christum ut meritum & ut exemplum intuetur, nec quadam tantum, sed omnia doctrinæ Christi capita suscipit. Non caput solum, sed & pedes ac intestina erant comedenda: sic non sufficit te Christo capiti per fidem incorporari, sed ad verum Christianismum etiam requiritur, ut membra Christi per dilectionem tibi incorpores & eorum commiseratione movearis. Quemadmodum ex assis agni carnibus nihil relinquendum erat usque mane Exod. 12. v. 10. sic fides, quâ Christum spiritualiter manducamus, cessabit, quando æternæ vitæ matutina lux sequetur. 1. Cor. 13. v. 12. Quemadmodum igne comburendum erat, si quid residuum maneret Exod. 12. v. 10. ita quoq; si toti agno comedendo, h. e. integro mysterio capiendò non sufficis, residuum igni devove, h. e. Spiritui sancto commenda. Quemadmodum agnus Paschalis manducandus erat cum panibus azymis expurgato omni ex ædibus fermento Exod. 12. v. 8. & 10. ita quoque cum *Pascha nostrum immolatus sit Christus*, ideo expurgemus vetus fermentum, ut simus nova conspergo, sicut sumus azymi 1. Cor. 5. vers. 7. *epulemur non in fermento malitiæ & nequitie, sed in azymis sinceritatis ac veritatis* vers. 8. caveamus ab o-*

mni fermento falsæ doctrinæ & impiæ vitæ Matth. 26. v. 6. Per septem dies azyma erant comedenda: sic toto vitæ nostræ tempore, quod per septem dierum decursum aliquoties repetitum terminatur, in azymis sinceritatis ac veritatis epulari debemus. *Quisquis fermentatum comederit, ejus anima excidetur ex Israel*, ait Dominus Exod. 12. v. 15. eadem severitate de illis, qui fermento falsæ doctrinæ & flagitiosæ vitæ delectantur, per Apostolum pronunciat Rom. 8. v. 13. *Si secundum carnem vixeritis moriemini*. Quemadmodum comestioni agni Paschalis & azymorum conjungebantur herbæ amaræ, quibus appetitus excitabatur: ita quoque in illis, qui per fidem Christi beneficiis frui expetunt, requiritur vera pœnitentia, serietà cordis compunctio, dolor de admissis peccatis cum flagranti desiderio gratiæ conjunctus, mortificatio veteris hominis, patientia in cruce, per quam desiderium gratiæ & cœlestium bonorum Deus in cordibus nostris accendit. Quemadmodum agnus Paschalis comedeatur ab Israelitis *festinanter*, ita ut lumbi eorum essent præcincti, ac calceamenta in pedibus & baculos in manibus haberent: sic beneficia Christi absque omni cunctatione amplecti debemus, memores nostræ conditionis, quod *hic non habeamus civitatem manentem* Hebr. 13. vers. 14. Spretis terrenis & animo ab Ægypto hujus mundi averso aspiremus ad cœlestia dicentes cum Apostolo: *Cupio dissolvi & esse cum Christo* Philip. 1. v. 23. *Sint lumbi nostri præcincti, ac semus similes hominibus, qui expectant dominum suum* Luc. 12. v. 35. & 36. *Cingulum renum* notat mortificationem carnis, ac promptum & expeditum animum ad Dei obsequium, *Calceis* opus est, ut in via verbi divini ingrediamur ac *parati simus ad confessionem Evangelii* Ephes. 6. vers. 15. neve scandalis ac lapsuum occasionebus pedes nostri laucientur. *Baculo*, h. e. præsidio verbi opus est ad firmandos pedes in via vocationis, ad dirigendos gressus nostros Psal. 23. vers. 4. ad robur fidei, cui innitatur, ad pugnandum contra tentationes & adversitates, ad nos erigendos, si fortè prolabamur, ad transiliendum torrentem tribulationis &c. Ephes. 6. v. 17. 5. Denique agnus Paschalis non solum certis ritibus manducabatur, sed etiam *sanguis illius* postibus ædium ac superliminari hyssopi fasciculi *aspergebatur* Exod. 12. vers. 22. Stapulensis hoc itidem ad Christi crucifixionem accommodat. *Utrumque* inquit, *crucis brachium sancto Domini sanguine enat imbuendum dextrâ & levâ manu Domini percussâ copiose utrumque postem irrigante. Sed & superliminare, quod à capite Domini incipiens, deorsum vergebat, preciosissimi capitis Domini spinarum acutissimarum aculeis percussum cruore rinctum permaduit, ac crux in Christo erat vite ostium, sed tunc cum haberet sanguinis signum. Verum quia aspersio illa sanguinis potius ad manducationem quam ad mactationem agni pertinet (quia enim esu sanguinis Judæis interdictum fuit Lev. 6. vers. 27. ideo loco esus aspersio fuit instituta) ideo per hanc asperisionem rectius significari dicitur, quod corpus & animam Christi sanguine aspergere, h. e. firmiter credere debeamus, ipsum sanguine suo corpus & animam nostram à peccatis mundare 1. Johann. 1. vers. 7. quodque non solum sacramentaliter in Eucharistia corpus Christi manducare, & sanguinem ejus bibere, sed etiam spiritualiter per veram fidem carnem*

ejus

ejus manducare, & sanguinem ejus bibere debeamus Joh. 6. v. 53. Justin. in Dial. cum Tryph. p. 200. *Christi sanguinem juxta rationem suam in ipsum fidei in ades suas, h. e. seiplos aspergunt in eum credentes.* Sanguine agni uterq; postis tingitur, cum memoria passionis Christi in corde per fidem, & in ore per confessionem imprimitur Rom. 10. v. 10. *Hyssopus*, ex qua asperforium parabatur, est humilis & abjecta herbula 1. Reg. 44. v. 33. denotat igitur ministerium verbi coram mundo contemptum, per quod corda nostra virtute Spiritus S. sanguine Christi asperguntur Pl. 51. v. 9 Hebr. 10. v. 22. 1. Pet. 1. v. 2. *Hyssopus* etiam est herba amara, denotat igitur prædicationem legis, quæ sit salutaris, quando tingitur. Christi sanguine. Quemadmodum ædes Israelitarum sanguine agni Paschalis signatas Angelus percussor transiiebat, nec ullum earum habitatoribus afferebat nocuum: sic per Christi sanguinem ostio cordis nostri verâ fide aspersum infernalis exterminator avertitur, nosque ab ira Dei æterno exitio protegimur. Denique quemadmodum Israelitæ nocte illâ prohibebantur domo egredi ne ab Angelo percussore læderentur Ex. 12. 2. sic durante hujus seculi nocte non debemus à domo Dei, quæ est Ecclesia 1. Tim. 3. 15. egredi, sed in ea per veram in Christum fidem mysticum Pascha quotidie celebrare, ita non solum ab Angelo percussore liberi erimus, sed etiam ex Ægypto hujus seculi in promissam Patriam cœlestem per terram Canaan præfigurata introducemur. De hisce omnibus dubio procul Christus discipulos suos admonuit, quando ultimum Pascha cum illis celebravit. Quamvis verò hæc non sint ab Evangelistis disertè annotata, tamen ex aliorum Scripturæ locorū collatione facile colligi possunt.

Duo verò commemorat Lucas, quæ Christus in Paschali illa cœna, vel potius communi Paschalem ex recepta consuetudine proximè insecuta egerit, videl. 1. quod testificatus fuerit, se ardentissimo desiderio hoc ultimum Pascha cum discipulis celebrare hætenus expetivisse, additâ ratione, quod posthac non sit ultra ex eo comesturus, donec compleatur in regno Dei. 2. quod accepto poculo Paschali gratias egerit, discipulis illud exhibuerit, & inter se dividere jussit, additâ ratione, quod non sit bibiturus de fructu vitis, donec regnum Dei veniat. Prius pertinet ad *τὴν ἰμνασίαν*, posterius ad *τὴν ἀγάπην* Christi, in quæ duo capita Lucas alibi distribuit ea, quæ Christus in diebus ministerii sui egit Luc. 24. v. 19. Act. 1. v. 1. Desiderii de hoc ultimo Paschate celebrando testificatio proponitur hisce verbis: *Et ait ad eos, Desiderio desideravi hoc Pascha comedere vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei.* Copulativa est hoc loco nota temporis. *Tunc* scilicet postquam agnus Paschalis jam erat comestus, dixit ad discipulos, cum quibus illum comederat: *Desiderio desideravi, h. e. maximopere desideravi per usitatum Hebraicum, quo nomen verbo ejusdem significationis additum significationem illius intendit.* Hebraicè diceretur *התאוותי לתאווה* ubi duplex est significationis augmentum. Nam *תאווה* in Hithpael significat valde cupit, maxime desideravit &c. & nomen desiderii additum verbi significationem auget. Syrus habet verbum *ܕܝܪܝܘܢܝܢ* cum nomine ex eodem formato: *Desideravit, concupivit magno desiderio.* Occurrit hic loquendi modus Num. 11. v. 4.

Vulgus promiscuum concupiscit concupiscenciam carni, h. e. maximo carniū desiderio flagrat. Prov. 21. v. 26. *Piger concupiscit concupiscenciam, h. e. semper desiderat & maximopere concupiscit ditiari.* Eodem modo, sed sancto desiderio Christus maximopere se desiderasse dicit comedere hoc Pascha cum discipulis, antequam pateretur. Epiphanius hæref. 30. memorat, Ebionæos hunc vericulum sic depravasse: *μη ἐπιθυμῶμεν ἐν ἐσπέρῳ αὐτῷ τὸ ἐσθῆναι τὴν Πασχαίαν μετὰ ἑαυτῶν; Num desideravi desiderio Paschali isto carne vobiscum vesci? quam depravationem multis ibidem refellit.* Euthym. in cap. 26. Matth. sic exponit: *Festinatione festinavi hoc anno Pascha edere vobiscum, antequam patiar, hoc est, non expectavi tempus à lege statutum, ne passio crucis prohiberet legalem cœnam ac mysticam, ex quo probat Christum die decimâ tertîâ, non autem decimâ quarta juxta legis constitutionem Pascha celebrasse.* Sed hanc Græcorum opinionem superius in cap. 166. refutavi. Quosdam veterum per τὸ *Pascha* intelligere in his Christi verbis Eucharistiam paulò antè in ratione ordinis ostendimus, sed ibidem monuimus, rectius de veteri Paschate sive agno Paschali illud intelligi, cujus desiderio sese Christus flagrasse asserit, non quod Pascha esset, sed quod ultimum esset Pascha, imò novissimum convivium, quod in corpore mortali cum suis discipulis in hoc mundo celebratus erat. Emphasis enim est in pronomine τῷ, desiderio desideravi vobiscum comedere hoc Pascha, h. e. hujus anni & hujus diei Pascha, hanc Paschæ cœnam, hunc agnum Pasch. Veluit Christus hoc dicere, Meministis, me aliquoties hætenus vobiscum Pascha celebrasse, ac typum agni Paschalis in ipsa celebratione diligenter exposuisse, sed nunquam tanto illius celebrandi & agni Paschalis comedendi desiderio flagravi quàm hoc tempore. Rationem exponit tum *openè* & *occultè* in verbis *antequam patiar* (ubi Syrus habet verbum *ܕܝܪܝܘܢܝܢ* quod significat ejusmodi passionem, quæ cum doloris sensu conjuncta, ne quis cum Hilario suspicetur, *passiones per Christi corpus transisse, sicut sagitta a transit aquas sine doloris sensu*) tum *apertè* & *manifestè* in subjecta *αἰτιολογίᾳ*. Dico enim vobis, posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei. Sensus est, inde atq; ideo tanto hujus Paschatis flagravi desiderio, quia erit ultimum, quod immediatè excipiet complementum illius quod in veteri Paschate fuit præfiguratum. Fuit autem agnus Paschalis figura, tum immolationis Christi in ara crucis (quia agnus ille Paschalis fuit mactatus & sanguis ejus largiter effusus) tum Sacramenti Eucharistici (quia agnus ille non solum fuit mactatus, & sanguis ejus effusus, sed etiam carnes agni igni assatæ fuere manducatæ & sanguis ejus potibus adidum illitus, ac sicut agnus Paschalis fuit posterius V. T. Sacramentum, circumcisio prius, sic Eucharistia est posterius N. T. Sacramentum, Baptismus prius, & proinde ut Baptismus successit in locum circumcissionis Col. 2. v. 11. sic Eucharistia in locum agni Paschalis.) Ergo quando Christus dicit, se magno hujus ultimi Paschatis desiderio flagrasse, significat mox institutum iri Eucharistia Sacramentum, mox etiam securam suam passionem & mortem, quorum utrumq; in agno Paschali fuit præfiguratum. Quidam statuunt, agnum Paschalem in Ægypto primitus mactatum propinquorem similitudinè gefuisse cum immolatione Christi in cruce, cum mactationem

tionem illam primam mox secuta fuerit, liberatio Israelitarum ex Ægyptiaca captivitate, quæ fuit typus liberationis spiritualis per Christi passionem & mortem præstita; agnum verò illum paschalem, qui quotannis in terra Canaan mactatus fuit, propius significasse Eucharistiæ Sacramentum, sed cum agnus in Ægypto & postea in terra Canaan mactatus fuerit, unum idemque Sacramentum, idè uterque rectius dicitur & Eucharistiæ & passionis Dominicæ figura, passionis quidem ratione mactationis & sanguinis effusionis, Eucharistiæ verò ratione carnis manducate & sanguinis asperfi. Hæc ergo fuit causâ propria, principalis & adæquata, propter quam Christus tanto hujus ultimi Paschalis desiderio tenebatur, nimium primò, quia post ejus celebrationem mox instituturus erat novum N. T. Sacramentum, in quo non amplius typicum agni Paschalis corpus & sanguis, sed proprium ipsius CHRISTI Salvatoris corpus & sanguis manducantibus & bibentibus exhiberetur. Voluit autem Salvator non nisi post ultimam cœnam Paschalem hoc novum N. T. Sacramentum instituere, quia in locum abrogati veteris Paschalis succedere debuit, & quia voluit illud esse perpetuum memoriale suæ erga nos dilectionis, quam more amicorum discedentium vel morte separandorum hoc symbolo nobis commendavit. Pari ratione non post passionem ac resurrectionem, sed antè eam hoc Sacramentum instituere voluit, quia debuit esse Testamentum morte ipsius Testatoris confirmandum, & quia institutum fuit ad annunciandum ac prædicandum mortem Testatoris. Cor. ii. v. 26. proinde etiam ante mortem, cum adhuc mortale & passibile corpus circumferret, illud instituit. Sicut Israelitæ Pascha vetus celebrabant in memoriam corporalis liberationis ex Ægyptiaca servitute: sic Eucharistiæ Sacramentum in N. T. celebratur in memoriale spiritualis liberationis ex infernali servitute per Christi passionem & mortem præstita; cujus rei causâ immediatè post ultimam cœnam Paschalem Christus cœnam Sacramentalem instituit. quia ergo conveniens erat in ultima cœna Paschali, paulò antè passionem & mortem novum N. T. Sacramentum institui, inde Christus ultimam illam Paschalem se tantopere desiderasse asserit, non ratione ipsius cœnæ Paschalis, sed ratione Eucharistici Sacramenti post eam, utpote ultimam instituendi. Deinde quia per ultimam illius cœnæ Paschalis celebrationem mox passionem & mortem suam Christus erat aditurus & opere ipso completurus, quicquid per agnum Paschalem in V. T. fuit præfiguratum. Hanc rationem exponit ipse Christus, quando addit, *desideravi hoc Pascha vobiscum comedere, antequam patiar*, acerbissimos scilicet cruciatus & mortem ignominiosissimam pro salute generis humbeundam. Hoc ergo vult dicere. Pascha illud, quod à dilecti mei discipuli vobiscum celebravi, institutum est à Deo non solum in recordationem pristini beneficii, videlicet corporalis liberationis ex Ægyptiaca servitute, sed etiam in figuram futuri beneficii, videlicet spiritualis liberationis ex infernali captivitate per Messiam præstandæ. Miserabilis fuit illa servitus & captivitas, quâ majores nostri à Pharaone in Ægypto fuere oppressi, ac gloriosa fuit liberatio, quâ benignissimus Deus ex eadem ipsos liberavit, sed longè miserabilior ac gravior est spiritualis illa servitus & captivitas, quâ totum genus humanum

Harm. Tom. II, vel Gerhard. Cont. pars secunda.

ab infernali Pharaone videlicet Diabolo propter peccatum tenetur constrictum, ac longè gloriosior erit liberatio, quâ benignissimus Deus ex eadem per passionem & mortem meam illud liberabit. Non sufficit agnum Paschalem comedere in *μνημόσυνον* beneficii pristini, sed requiritur, ut manducetur etiam in signum futuri, & jam proximè instantis beneficii. Cum infernalis Pharaon ante quatuor ferè annorum nullia primos parentes & in illis totum genus humanum per peccatum in potestatem suam redegit, ego in æterno S. S. Trinitatis consilio Mediator sum constitutus, & promisi, me in plenitudine temporis veram hum. Nat. assumpturum, in ea passionem & mortem subiturum, & hac ratione ex servitute peccati & captivitate Satanae genus humanum iterum liberaturum, in cujus rei signum primos parentes vestibus pelliceis indui, sacrificandi ritum ipsos docui, agnum Paschalem & reliqua V. T. sacrificia unice propitiatorii sacrificii à me in ara crucis offerendi typos institui. Jam præstò est tempus illud definitum, quo typus ille agni paschalis & omnes reliqui V. T. typi sunt implendi, quo me ipsum in ara crucis immolaturus sum, ut genus hum. ex infernali Pharaonis captivitate liberetur. O quoties & quàm ardenti desiderio experivi hoc tempus maturari! Ecce jam præstò est, jam celebratum est ultimum Pascha, imò novissimum convivium, quod vobiscum in terris acturus sum. Non est mihi ignotum, mox ab hac Paschali cœna, ubi prius Sacramentum Eucharisticum instituere & valedictorio sermone vos exero, imminere mihi passionem gravissimam & mortem acerbissimam, sed tantum abest, ut eam subterfugiam, ut ob hoc ipsum ardentissimo desiderio hanc ultimam cœnam Paschalem hæcenus expecterim. Sic ergo verbis hæc Christus docet, vetus illud Pascha Judaicum non solum in memoriam liberationis corporalis ex Ægyptiaca servitute, sed etiam in figuram spiritualis liberationis ex infernali captivitate per Messiam præstandæ divinitus institutum fuisse. 2. ostendit, se non esse imminens passionis ignarum, nec ex quadam necessitate vel coactione, sed ex immenso amore & eo orto ardenti desiderio redimendi gen⁹ humanum passionis & mortis supplicia adire Luc. 12. v. 50. Desiderat enim passionem, non quod in se ac per se fuerit levis vel jucunda, quia propter acerbitatem ejus passionis calicem ut verus homo post deprecatur Matt. 26. v. 39. 42. & 44. sed quia ineffabili amoris desiderio salutem humani generis stitit, quæ per ipsius passionem & mortem erat procuranda. Homo nudus, cum primis verò peccator potius optasset Pascha illud ultimum nunquam venire, quia Natura hominis præsertim peccatoris à morte abhorret, sed Christus redemptionem & salutem generis humani ardentissimè desiderans non sicut mortis præsentiam deterritus, quò minus ultimum illud Pascha sincerè & magnopere desiderarit. Amor procurandæ redemptionis & salutis humanæ, timorem mortis in ipso quasi vicit. Theophyl. in h. l. *Significat per hæc quod voluntariè patiatur. Poterat enim omnino sedere, sicut & aliis temporibus cum sciret se passurum.* 3. declarat ardens desiderium, voluntatis paternæ implendæ, de quo Johan. 4. v. 34. dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut persiciam opus ejus.* Hoc ergo vult dicere, comedi vobiscum agnum Paschalem, sed superest mandu-

manducandus adhuc alius cibus, implenda est voluntas Patris mei cœlestis non solum in veteris Paschatis celebratione, sed etiam in generis humani per passionem & mortem meam redemptione, hunc cibum ardentissimè expeto & desidero. 4. significat hoc fore ultimum in terris convivium, quod in mortali suo corpore cum discipulis celebraturus sit. Theophylact. in h. l. *Ideo gratum & desiderabile est hoc Pascha, quia erit extremum.* Nam ultra vobiscum non sum convivaturus; sicut & peregrè profecturi postrema colloquia cum maximè familiaribus suaviter miscent. Nimirum sicut amici, quibus discedendum est, valedictorium convivium maximè solent desiderare, non propter ipsum convivium, sed quia constituerunt singularia amoris argumenta erga amicos suos in eo exhibere: ita quoque Christus desideravit cœnam illam Paschalem, quam noverat fore ultimam, quia in ea singularem suum amorem multis ac variis modis erga discipulos declarare, constituerat, mensæ scilicet ejusdem communione, pedum lotione, Eucharistiæ institutione, valedictoriâ concione & cum primis acerbissimâ passione, quam statim ab hac cœna propter ipsos sponte adiit. 5. excitat discipulorum animos, ut intendant his, quæ & dicturus & acturus erat post illam cœnam, quam dicebat fore ultimam, ex eo enim facillè colligere poterant discipuli, non nisi magna, augusta & singularia ab eo, qui jam morti vicinus erat, esse expectanda. Hoc ergo Christi desiderium 1. est justitiæ nostræ meritum & perfecta satisfactio pro carnalibus primorum parentum & posterorum desideriiis, quibus præposterè expetuntur ea, quæ voluntati divinæ in lege patefactæ sunt contraria, sicut expressè dicitur Hebr. 10. v. 10. quod promittit illa voluntas Christi, quæ Patris cœlestis voluntatem in passione & morte sua sponte implevit, *simus sanctificati* 2. præbet nobis efficax solatium. Christus majore desiderio nostram salutem expetit, quam nos eam desideremus, *promittit est, ut beneficia sua nobis conferat, quam nos ut ab ipso ea accipiamus, juxta pulcherrimum Taulei pronuntiatum: Apostoli hoc loco non orant Christum, ut pro redemptione & salute generis humani mortem adeat, sed Christus de spontaneo mortis suæ desiderio restatur. Quod si ergo tantopare desideravit nostram salutem, cum ea adhuc acerbissimâ passione & morte esset paranda, quanto magis eam hodie desiderat, cum jamdum perfectè sit parata, atque ipse ab omnibus miseriis ereptus ad dextram Dei sedeat? Si tantopere desideravit nostram salutem, cum adhuc essemus peccatores & inimici, ut pro nobis mortem ignominiosissimam adire non recusaret, quanto magis nunc *justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum in vita ipsius* Rom. 5. v. 8. 9. & 10. Si tanto æstuavit desiderio, ut morte sua nos liberaret, quomodo post factam liberationem nostri oblivisci ac nos deserere poterit? Si tanto arsit desiderio, ut per mortem nos liberaret, utique etiam per novissimum suum adventum ab omnibus animæ & corporis malis perfectè nos liberare desiderat Luc. 21. v. 28. Rom. 8. v. 23. 3. proponitur nobis in exemplum & sancti desiderii incitamentum. Si in Christo tantum fuit desiderium, remissionem peccatorum, justitiæ & vitam æternam nobis comparandi, æquum est, ut in nobis quoque vigeat sanctum desiderium beneficia illa verâ fide acceptandi. Si propter nos mortem desideravit, nos*

multo magis vitam in ipso desideremus. Si unigenitus ille Dei filius nullum majus desiderium habuit, quam perficendi divinam Patris sui cœlestis voluntatem, etiam si hoc nomine passio acerbissima & mors ignominiosissima ipsi esset adenda, utique etiam nobis adoptivis Dei filiis nihil magis in votis ac desideriiis esse debet, quam ut in vocatione nostrâ Dei voluntatem perficiamus. Præterea quemadmodum Christus mortem non exhorruit, sed summo potius cum desiderio expectavit: ita quoque non nimio opere mortem exhorrescere debemus, sed æquo animo eam subire, imò lætari, quod per eam ad Patrem cœlestem abeamus, sicut paulò post in Historia de lotionem pedum Evangelista mortem Christi & omnium verè piorum definit. Joh. 13. v. 1. qualis definitio etiam Luc. 2. v. 29. 2. Cor. 5. v. 8. Phil. 1. v. 23. & c. Tum verò demum non æquo solum, sed etiam lato animo mortem venientem expectare, possumus, si verâ fide Christum mortis victorem & vitam Ducem Act. 3. v. 15. amplectamur, eamque meditatione promissionum de vita & gloria æterna, in quam per mortem ingreditur, confirmemus, sicut in Christo hic videmus, quod contra imminentem passionem & mortem sese erigat meditatione cœlestis gloriæ, in quam per passionem & mortem erat ingressurus Luc. 24. v. 26. Heb. 2. v. 10.

Testificationem enim de suo, quo ultimum illud Pascha expetiverit, desiderio, *ἀπολογισμῶς* subiungit: *Dico enim vobis, posthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei.* In hisce verbis rationem reddit, cur tanto hujus Paschatis flagraverit desiderio, nimirum quia futurum sit ultimum non solum Pascha, sed etiam convivium, quod in hoc mortali corpore cum suis discipulis sit celebraturus. Certò & indubitanter vobis hoc confirmo & prædico, quod *ἐπιπέσει ἡ γῆ ex hoc tempore, posthac, non amplius ex eo edam & c.* Triplex hic occurrit negatio, quæ more Græcorum fortius negat. Relativum *ἐπιπέσει* pertinet ad proximè præcedens nomen *Paschatos*, cujus desiderio sese flagrâsse dixerat. Et quia additur, quod desideraverit comedere istud Pascha, ex eo intelligitur, quod non festum, sed cibi Paschales hoc loco nomine Paschatis sint accipiendi. Fuerunt autem cibi paschales non solum agnus assatus, sed etiam panis azymus succo herbarum acidarum intinctus, ac reliqui cibi, qui in mensa communi sive vulgari, quæ efusi agni Paschalis submitti consueverat, apponebantur. Quando igitur Christus negat, sese ultra ex Paschate cum discipulis manducaturum, donec compleatur in regno Dei, intelligit non solum agnum Paschalem, qui àstantibus, accinctis & baculis in manibus tenentibus manducabatur, sed etiam reliquos cibos Paschales, quos mensæ accumbentes assumebant, quibus potus vini conjungi solebat, unde etiam paulò post *fructus vitis* sive vini meminit, ex quo itidem sese ultra bibiturum negat, donec regnum Dei veniat. Significat igitur, se non solum agnum Paschalem cum ipsis non amplius manducaturum, sed etiam nullos alios corporales ac naturales cibos, cum hoc futurum sit ultimum non solum Pascha, sed etiam convivium, quod in hoc statu & in hoc mortali corpore cum illis celebraturus sit. Quia enim superius de ipso dictum, quod *accubuerit cum discipulis atque à cœna surrexisset* dicatur lotionem pedum suscepturus Joh. 13. v. 4. ex eo facillè intelligitur quod in ultima illa paschali cœna non solum agnum Pascha-

Paschalem, sed etiam alios cibos cum discipulis ederit, ac ut valedictorio sermone, ita quoque convivio eos solatus fuerit: *προδορισμος* quem Christus addit, donec compleatur in regni Dei, diversimodè ab Interpretibus exponitur: 1. Quidam per regnum Dei intelligunt tempus 40. dierum, in quibus Christus cum discipulis suis in corpore glorificato conversatus, ad confirmandam resurrectionis suæ veritatem non quidem Paschales, sed alios vulgares cibos comedit Luc. 24. v. 43. Joh. 21. v. 15. Act. 1. v. 4. c. 10. 41. Hæc expositio confirmari potest ex eo, quod Christus per passionem & resurrectionem suam dicatur ingressus in regnum Dei Luc. 23. v. 42. quodque seipsum vivum discipulis suis per 40. illos dies exhibens locutus fuerit ipsis de regno Dei Act. 1. v. 3. Cajetanus hanc expositionem confirmat ex eo, quod post resurrectionem cæperit regnum Christi. Sic ergo foret sensus. Non manducabo ulterius Pascha, donec intelligatur impletum esse, quod per hunc Paschalem agnum præfiguratur, quod fiet, cum post passionem & resurrectionem in regnum Dei ingressus fuero, quæ ratione per Pascha speciatim agnus Paschalis intelligitur; vel si generaliter quosvis cibos, in Paschate unà cum agno manducari solitos, intelligamus, verbum *complendi*, potest indeterminatè accipi. Non manducabo ulterius ex hoc Paschate & quibusvis cibis corporalibus, donec impletum fuerit, h. e. donec per passionem, mortem & resurrectionem meam prius compleatur, quicquid ad generis humani redemptionem adhuc peragendum restat, tunc enim iterum vobiscum comedam & bibam, non quidem ex Naturæ necessitate, sed ex libera *ἐκνοησέ* ad resurrectionis meæ veritatem confirmandam. Juxta hanc expositionem particula *donec* acciperetur non *exclusivè* pro nunquam, sed *inclusivè*, ut innuat post complementum in regno Dei, sive post resurrectionem, insecutum, Christum iterum cum ipsis Pascha, h. e. cibos corporeos manducaturum. 2. Quidam per regnum Dei itidem intelligunt tempus resurrectionem Christi insecutum sed per Pascha non intelligunt Paschales vel corporeos cibos, sed Sacramentum Eucharistiæ per agnum Paschalem præfiguratum. Statuunt enim, Christum post resurrectionem suam Sacramentum Eucharistiæ denuò manducasse quando discipulis in Emaus illud exhibuit Luc. 24. v. 30. Sed ostendimus, suo loco non posse ex Evangelica Historia firmiter probari, Christum ipsum Eucharistiæ sumsisse, sive in prima ejus institutione, sive post suam resurrectionem. Ac superius in ratione ordinis ostendimus, per Pascha in verbis Christi præcedentibus, desiderio desideravi comedere vobiscum hoc Pascha, non satis commodè intelligi Eucharistiæ. Ergo etiam in his verbis: Eucharistiæ Sacramentum per pronomen *αὐτῶ* intelligi nequit. Nec est, quod urgeatur vocula *πληρωθῆ* quasi Eucharistiæ Sacramentum sit Pascha impletum, ac Paschale sit Sacramentum Eucharistiæ præfiguratum, hac enim ratione sequeretur, Christum jamdum in regnum Dei fuisse ingressum, quando Eucharistiæ instituit, quod ante passionem & resurrectionem factum esse constat. 3. Quidam per regnum Dei intelligunt tempus post Christi resurrectionem & per Pascha agnum Paschalem & reliquos cibos corporeos, sed particulam *donec* accipiunt *exclusivè*, juxta usitatam regulam: *Exclusiva temporis antecedentis non sem-*

per insert inclusivam temporis sequentis, sed adjecta illa exclusiva sæpius simplicem negationem continet Genes. 28. vers. 15. 1. Sam. 15. vers. 35. 2. Sam. 6. vers. ult. Esa. 22. vers. 14. cap. 42. vers. 4. Matth. 1. vers. 25. cap. 5. vers. 26. &c. Sic ergo foret sensus. Nunquam amplius hoc typicum Pascha vobiscum celebrabo, nunquam impostertum corporales cibos vobiscum capiam, sed per passionem & resurrectionem meam in regnum Dei & statum cælestem ingrediar, resurgam à mortuis, non ut externam & corporalem pro modo hujus seculi inter vos vitam agam, sed ut vivam in regno Dei, in statu cælesti, habebō corpus glorificatum ab omnibus *ὑπὸ τῶν ἀγγέλων* liberum, ac complebuntur in resurrectione mea omnia, quæ à Prophetis de regno Dei prædicta &c. Quod si huic expositioni objiciatur, Christum cum discipulis post resurrectionem comedisse, respondet, Christum illius manducationis nullam hinc habere rationem, cum non manducavit modo consueto ad corporis sustentationem ac nutritionem, nec more convivantis, sed aliquando dumtaxat & ex libera *ἐκνοησέ* ad probandam resurrectionis suæ veritatem, quemadmodum etiam, quia non conversabatur cum Apostolis modo prius consueto & naturali, sed aliquando quidem ipsis apparebat, mox verò iterum disperebat, ideò Luc. 24. v. 44. dicit: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum essem adhuc vobiscum, ubi sic loquitur, quasi non amplius esset cum illis scilicet modo priore & consueto.* 4. Quidam per regnum Dei intelligunt Ecclesiam, quæ est regnum gratiæ & passim in Scripturis regnum cælorum & regnum Dei vocatur. Beda in Lucam. cap. 22. *Nequaquam ultra Mosaicum Pascha celebrabo, donec in Ecclesia spiritualiter intellectum compleatur. Ipsa est enim regnum Dei, de quo alibi discipulis ait, regnum Dei intra vos est, Luc. 17. v. 21. in quo regno Dominus hodieque Pascha impletum manducat, quando ea, quæ Moyses rudi populo carnaliter observanda præcepit, in membris suis, h. e. in ipsa Ecclesia spiritualiter exercet.* Ad hanc expositionem applicat typum Josuæ, qui susceptum defuncto Mose populum solitis aliquandiu trans Jordanem manna refecit alimentis, quibus & ipse quamvis agnito, olimque gustato terra repromissionis fructu refecit, ac post Jordanis transitum tres semis mense usque ad diem scilicet Paschæ completam consuetum manna non tollit: sic cælestis Josua Salvator noster post susceptum Baptismum per Jordanis transitum præfiguratum tres semis annos quasi solito manna nutriri, Sacramenta legis, quamvis ad cælestia promissa paulatim provocans, observare non cessat, donec tempore præfixo desideratum Pascha cum discipulis manducans, ita demum manè illucescente mundissima sui corporis & sanguinis mysteria in crucis altari consecrata, quasi azyma terre repromissionis imbuendis fidelibus offerat. 5. Affinis est huic expositioni sententia illorum, qui per regnum Dei itidem intelligunt Ecclesiam, sed per Pascha impletum non impletas per Christi passionem legis figuras, sed Eucharistiæ Sacramentum intelligunt, id quod post resurrectionem Christum cum discipulis suis denuò manducasse asserunt. Sed cum hæc hypothesis sit incerta, ideò 6. quidam per impletum Pascha non intelligunt Eucharistiæ Sacramentum à Christo denuò manducatum, sed à membris Christi in Ecclesia celebratum, ut sit sensus non manducabo ulterius ex hoc Paschate, donec impletur in regno

Dei, h. e. donec plenitudinem cœlestium bonorum, quæ in Evangelio vobis promissa sunt, & quorum promissio per Eucharistiam obsignatur, percipiatis. Stapulensis in h. l. Hoc impletum fuit, quando dedit corpus suum immortale & gloriosum iis, qui sunt in regno suo, manducandum, quod est verum Pascha nostrum, non ulm typicum, ut vetus; ubi ipse est cibus & conviva. Barradius in h. l. Impletum est Pascha typicum in regnum Dei, cum Christus Eucharistiam instituit, ut in regno Dei, h. e. in Ecclesia celebretur. Significat ergo his verbis se nunquam posthac Paschalem agnum manducaturum, sed velle Sacramentum instituire, quod in Ecclesia agni illius typum expleat. Beza in cap. 22. Luc. Hic locus exponitur ab Apostolo 1. Cor. 5. v. 2. Pascha nostrum immolatus est Christus & c. nam eo tempore completo re ipsa quod illa figura designabat Christus nobiscum verè epulatur & nos cum illo in regno Dei.

7. Quamvis verò quadam harum expositionum, præsertim prima tolerari possint, tamen simplicissimam & textui maximè congruam expositionem judicamus illam, quâ per regnum Dei intelligitur regnum gloriæ sive futuri seculi. Nam 1. eodem sensu hic accipitur regnum Dei, quo postea in traditione poculi Paschalis, in qua Christus dicit, non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat Luc. 22. v. 18. & in traditione poculi Sacramentalis, in quo Christus denuò dicit: Non bibam à modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei Matth. 26. vers. 29. Marc. 14. vers. 25. Jam verò ibi regnum Dei accipitur pro regno cœlesti & statu futuri seculi, ut inferius ostendemus. Ergo etiam hoc loco 2. Christus ipse hanc protestationem & promissionem suam sic exponit Luc. 22. vers. 29. Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus. vers. 30. ut edatis & bibatis super mensam meam in regno Dei, & sedetis super thronos & c. 3. Usitatum est in Scripturis per regnum Dei intelligi gaudia in regno cœlesti percipienda Psal. 36. vers. 9. Matth. 8. vers. 11. Luc. 14. v. 15. Apoc. 3. v. 20. & c. 4. Convenit hæc interpretatio Christi scopo. Ne enim Apostoli audientes hanc fore ultimam cœnam plus justo contristarentur, ideo Christos animos ipsorum erigit promittens post hanc Paschalem cœnam illam longè feliciorum & lætiorum securam in regno Dei, ad cujus participationem ipsi quoque sint assumendi, sicut paulo post in vers. 18. & 29. plenius declarat. 5. Eodem modo exponunt multi ex veteribus, Orig. tract. 35. in Matth. Quoniam in regno Dei manducabimus & bibemus, ex multis locis Scripturarum est demonstrare, præcipuè ex eo, quod scriptum est, Beatus qui manducaverit panem in regno Dei. Ergo implebitur in regno Dei hoc Pascha & manducabit illud Jesus cum discipulis suis & bibet. Euthymius in cap. 26. Matth. per regnum Dei itidem intelligit statum futuri seculi. Theophylactus in cap. 22. Luc. primam & hanc postremam expositionem conjungit. Quidam sanctorum (inquit) intellexerunt, donec resurgam, post resurrectionem enim conversatus est cum discipulis & comedit ac bibit cum eis & c. Quidam autem regnum putaverunt futurum statum. Bibere autem Dominum nobiscum in futuro pro revelatione mysteriorum & c. Et sanè potest utraque expositio certâ ratione conjungi. Nam Christus per resurrectionem suam ingressus est in gloriam suam Luc. 24. v. 26. ac proinde in statum regni cœlestis, ideo statim à resurrectione,

sua manducavit cibum cœlestem & bibit potum cœlestem in regno Dei, non ampliùs terreno cibo ac potu ad corporis sustentationem ingrediens, ac ejusdem felicitatis Apostolos post mortem participes fecit, ac omnes omninò verè fideles in die iudicii illius in gradu perfectissimo participes reddent. At, inquis, quomodo potest dici Pascha compleri in regno Dei, cum immolationis Christi in cruce & institutionis Eucharistie duntaxat typus fuerit, non autem felicitatis in vita æterna expectandæ? Quidam respondent, particulam donec accipiendam esse exclusivè, Christum enim non significare, quod in in regno Dei aliquando Paschalem agnum vel cibos corporeos iterum sit manducaturus, sed se non manducaturum ex eis, donec veniat regnum Dei, tunc verò multò minis ex eo manducaturum, quando cœlestis cibus in regno Dei præstò fit futurus. Sed quicquid sit, interim manet illud, quod Pascha dicitur completum in regno Dei, h. e. in statu futuri seculi, respondemus igitur, quemadmodum Israëlitis præceptum erat, ut in oblatione sacrificiorum & manducatione eidem conjuncta hilares sese præberent Deut. 16. 11. ita quoque magno cum gaudio agnum Paschalem manducabant, quia recordabantur lætissimæ liberationis ex servitute Ægyptiaca, unde etiam poculum laudis & decantationem Psalmorum Eucharisticorum ab Halleluja incipientium Paschali cœnæ conjungebant. Respectu hujus lætitiæ, cum primis vero respectu liberationis Ægyptiacæ, cujus memoriam recolebant, Pascha legale implebitur ac perficietur in regno cœlorum, tunc enim electi cum Abrahamo, Isaac & Jacobo epulis cœlestibus satiabuntur Matt. 8. 11. tunc ineffabilis lætitia electos reficiet Esa. 65. v. 18. tunc consummata & perfecta erit electorum redemptio Luc. 21. v. 28. Rom. 8. v. 21. tunc implebitur, quod prædictum Esa. 35. v. 10. Redempti à Domino revertentur, & venient in Sion cum jubilatione & lætitiâ sempiterna super caput ipsorum gaudium & lætitiâ obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Colligitur ergo ex hoc loco. 1. quod Christus, qui prædicatione mortis suæ animos discipulorum contristaverat, prædicatione resurrectionis suæ & gloriæ æternæ eos vicissim erigat, quam methodum adhuc hodie observat, priùs contristat ac postea demum exhilarat 1. Sam. 2. vers. 6. Psal. 30. v. 6. & c. 2. quod omnibus verè fidelibus regnum Dei, h. e. ineffabilis lætitiæ & gloriæ in cœlo sit promissa, cujus unâ cum Christo capite suo participes aliquando sint futuri Luc. 22. v. 30. Joh. 12. v. 26. c. 17. v. 24. & c. 3. quod exemplo Christi contra truculentam mortis speciem meditatione æternæ felicitatis post mortem nobis promissæ animos nostros erigere, adeoque sub afflictionè liberationem, sub cruce lucem, sub morte vitam intueri debeamus. 4. quod regnum Dei non sit futurum esca aut potus (terrenus) Rom. 14. v. 17. sed spiritualis ac cœlestis Psal. 36. v. 9. videl. justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto & c. 5. quod Chiliastræ frustra expectent mundanum aliquod Christi in his terris regnum ante finem seculi inchoandum, illi enim opinionioni hæc Christi protestatio de non manducandis ampliùs terrenis cibus fortissimè adversatur.

2. Distributio poculi Paschalis & valedictorii describitur his verbis: Et accepto poculo gratias egit ac dixit, accipite hoc & dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat. Poculum hoc fuit tum Paschale, cujus

benc-

benedictione & distributione Dominus satisfecit recepta apud Judæos in Paschatos festo consuetudini, de qua superius in ratione ordinis multis egimus, tum *valedictorium*, quo testatus est, hoc fore ultimum in his terris convivium, quod in hoc quidem statu & in mortali corpore cum discipulis suis celebraturus sit, ut colligitur ex subjecta *αιτιολογια*. Particula *καθ* hoc loco inservit notationi temporis. Tunc, postquam scilicet testificatus fuerat, se magno desiderio ultimum istud Pascha celebrasse ac cœnæ Paschali finis jam impendendus esset *δεξαιμεν* ποτηριον *accepto* in sanctas & benedictas suas manus poculo gratius prius actis, dixit, *Accipite hoc poculum*, videlicet à me prægustatum & quasi prælibatum (hanc enim prægustationem non solum recepta in Paschali, sed etiam valedictorio poculo consuetudo requirit) & *dividite inter vos*, ita ut omnes ex eo hauriat. Ποτηριον dictum *δαρ* τὴν πόσιν τηρεῖν est vasculum potiorum, quod potum continet, quamvis quidam hanc etymologiam existiment esse tantum allusivam ac paragogicam. Illud certum est, poculi nomine hic non tam vasculum continens potum, quam potum in eo contentum significari, quia Christus jubet ποτηριον illud inter discipulos *dividi*, quod non nisi de potu in eo contento accipi potest, quo sensu etiam vocula *δωρε* quam Syrus hoc loco habet, usurpatur *συνεδοχικῶς* scilicet pro eo, quod poculo continetur Psal. 23. v. 5. Jer. 16. v. 16. &c. cujus observationis usus postea sequetur quando de poculo Sacramentali agemus. Per *ευχαριστιαν*, quæ Christus ante distributionem hujus Paschalis & valedictorii poculi usus dicitur, non intelligitur illa *ευχαριστια* & *εὐλογία*, quæ in institutione & distributione poculi Sacramentalis postea usus est, quia ut superius ostendimus, poculum hoc Paschale & valedictorium à Sacramentali fuit distinctum, sed vel generalis ejusmodi *ευχαριστια*, quæ solebat in communi cibo & potu uti Luc. 24. v. 30. vel quod verisimilius, Eucharistia illa Paschalis & solennis, quæ paterfamilias in distributione poculi Paschalis uti consueverat, quæ sic habuit: *Benedictus es Domine Deus noster. Rex universi, qui fructum vitis creasti. Voluit autem Christus poculum eo modo à se benedictum discipulis distribuere*, 1. ut satisfaceret receptæ apud Judæos consuetudini, quæ quamvis non esset expresso Dei mandato præscripta, tamen pietati non fuit adversa, 2. ut ostenderet hoc fore ultimum convivium, quod cum discipulis suis in his terris celebraturus sit, unde rationis loco statim subjicit: *Dico enim vobis, non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.* 3. ut suo exemplo discipulos & nos omnes doceret, *sive manducemus, sive bibamus, sive aliud quid faciamus, omnia ad gloriam Dei nos facere debere* 1. Corinth. 10. v. 31. *quia omnis creatura Dei bona & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* 1. Tim. 4. v. 4. *sanctificatur enim per verbum Dei & per orationem* v. 5. &c. 4. ut valedictorio isto poculo caritatis & concordie Apostolos admoneret, sicut paulò post Johannem dicit, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis.* Joh. 13. v. 34. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* cap. 15. v. 15. *hoc mando vobis, ut diligatis invicem* v. 17. Quemadmodum enim ex multis uvis unus exprimitur vini potus: ita communi hoc poculo (in quo erat fructus vitis, ut ex additâ ratione apparet) discipulos

Harm. Tom. II, vel Gerhard. Com. pars secunda.

admonere voluit, quod per caritatem debeant esse unum corpus. Quidam addunt aliam causam, quod videlicet Christus voluerit hunc potum esse libamen sacrificii modò comesti. Sed ostendimus superius, agnum Paschalem non fuisse sacrificium proprie dictum. Sed ex hisce quatuor causis ea, quæ secundo loco enumerata, fuit primaria & principalis distributi inter discipulos poculi causa, quam etiam Christus ipse in annexa *αιτιολογια* expressit. *Dico enim vobis, quod non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.* Sicut modò dixi, me posthac non manducaturum ultra ex hoc Paschate, donec compleatur in regno Dei: ita par ratione vobis confirmo, me posthac non bibiturum de fructu vitis, donec regnum Dei veniat. Per *γεννηματα* τὸ αἰματινὸν vinum intelligitur, quod ex vite nascitur. Budæus à Chrono in Epitt. 24. *γεννηματα* vocari dicit, *fructus ac satus terræ ac enascentia germina, cum primis fruges & vina* Polyb. 1. 3. *σπαρτοπέδους αἰς ἐν χώρα πρὸς πάντα τὰ γεννηματα διαφέρουσι.* In eadem significatione usurpatur Luc. 12. v. 18. Sirac. 16. v. 19. 1. Macc. 11. v. 34. c. 14. v. 8. &c. LXX. utuntur pro *βλαστηση* *germinatione, fructu* Can. 6. v. 10. pro *βλαστηση* *proventu terræ* Gen. 47. 23. Exo. 23. v. 10. Levit. 25. v. 12. pro *βλαστηση* *productio germinis* Levit. 26. v. 4. Deut. 32. v. 22. &c. ac phrasia ipsa, quod vinum sit *γεννηματα* τὸ αἰματινὸν occurrit Deut. 32. 9. Habac. 3. 17. Syrus habet nomen *מלח* metaphoricè de fructibus terræ usurpatum, sicut alias Hebræi vinum vocant *filium vineæ* & frumentum *filium agri*. Quemadmodum Moses vinum metaphoricè vocat *sanguinem vineæ* Gen. 49. v. 11. Deut. 32. 14. cum sanguis propriè animatis competat: ita Christus per eandem ferè metaphoram vinum vocat *γεννηματα* vitis, cum *γεννημα* in propria significatione animatis tantum tribuatur. Ideo vero notanter Christus dicit, *se non bibiturum amplius ex germine vitis*, ut intelligatur vinum in poculo illo Paschali & valedictorio fuisse, quod discipulis suis propinavit. Clem. Alexandr. in pædag. *ὅτι δὲ οἶνον ἦν εὐλογηθὲν ἀπέδειξε πρὸς τῆς μαθητῶν λέγων ἕμην πτω ἐν τῷ γεννηματι τὸ αἰματινὸν ταύτης.* Et quia de poculo Sacramentali iisdem postea verbis utitur, ut est apud Matthæum & Marcum, ex eo intelligitur, etiam in poculo Sacramentali fuisse vinum; an vero illud fuerit merum, an vero pro more calidarum regionum aquâ temperatum in medio relinquimus. Quando ergo Christus dicit, *se non amplius ex hoc vitis germine, quod ex poculo illo Eucharistico prægustaverat, bibiturum, donec regnum Dei veniat, significat, hoc fore ultimum convivium, & ultimum, quem illis propinaturus sit, potum; se non amplius modo humano & terreno cum ipsis conversaturum, non futuram deinceps consuetudinem mutuam usitati & humani convictus, sed secuturum in regno Dei alium convictum longè sublimiorem, feliciorem, ac lætiorem, spiritualem scilicet ac cœlestem, inde etiam notanter dicit, se non bibiturum cum illis de fructu vitis, quâ vini periphrafi non tantum alludit ad formam benedictionis, quâ Iudæi poculum Paschale distributi uti solebant, (Benedictus es Domine Deus noster, Rex mundi, qui fructum vitis creasti) sed etiam emphaticè significat, se nullo eorum, quæ ex terra producuntur, h. e. nec cibo nec potu corporeo cum illis in posterum usurum. 1. Per *regnum Dei* hic denuo quidam intelligunt tempus illud,*

Q999 3 illud,

illud, quo Christus post resurrectionem suam cum discipulis conversatus est, & ex eo colligunt, quod quamvis Christus post resurrectionem suam non statim in cœlos ascenderit, sed cum discipulis suis ederit & biberit, ipsum tamen fuisse in regno Patris sui, quod proinde non sit certis locorum *Δεσφύμασι* definiendum. Pilator huic interpretationi opponit, quod, *quamvis Dominus post resurrectionem discipulis sese sepius ostenderit, ac cum illis ederit, nusquam tamen cum illis legatur bibisse, quodq; apud Judæos non fuerit moris in prandis ac cœnis quotidianis vinum bibere, sed tantum in solemnibus conviviis.* Sed prius repugnat diserto testimonio Petrino Act. 10. v. 41. *οὐκ ἔφαθ' ἕως ἄρτι αὐτῶν*, posterius meris nititur conjecturis ac refellitur ex eo, quod Christum ob frequentationem vini potum calumniatores vocabant *οἰνοπότην* Matth. 11. v. 18, nec ullo modo verisimile est, Apostolos Christo post resurrectionem secum conviventi aquam loco vini apposuisse, ut Barradius in h. l. nugatur. Sine ulla igitur absurditate per *regnum Dei* accipi potest status ille cœlestis, in quem Christus post resurrectionem suam ingressus est, in quo adhuc cum discipulis suis edit & bibit, non ex necessitate, sed ex libera dispensatione ad resurrectionis veritatem, confirmandam. 2. Quidam per *regnum Dei* etiam hoc loco intelligunt Ecclesiam, quia Christus non solum post resurrectionem cum discipulis suis edit & bibit, sed etiam adhuc hodie in verbo Evangelii spiritali cibo ac potu nos pascit ad vitam æternam Joh. 4. v. 14. c. 6. v. 27, 35, 51, &c. c. 7. v. 37. &c. 3. Sed principaliter & propriè per *regnum Dei* hic intelligitur regnum gloriæ, in quod Apostoli ratione animarum post mortem suam sunt translati ac in novissimo die etiam corpora ipsorum è terris resuscitata & animabus unita in illud transferentur. In hoc gloriæ regno Christus cum Apostolis & omnibus fidelibus suis manducabit ac bibet, non terrenum ac corporeum aliquem cibum vel potum, sed spirituales & cœlestes, sicut hæc explicatio traditur Ps. 36. v. 9. Matth. 8. v. 11. Luc. 22. v. 30. Ap. 7. v. 17. &c. Quamvis enim Christus statim post resurrectionem in gloriam suam ac proinde etiam in regnum Dei sit ingressus Luc. 24. v. 26. spiritalibus & cœlestibus epulis in eo oblectatus,

Apostolos tamen hujus gloriæ & felicitatis non statim participes fecit, sed illi ad cœlestem hanc Christi mensam tunc demum admoti sunt, quando animæ ipsorum à corporibus solutæ in regnum Dei fuere receptæ Luc. 23. v. 42. ac quando corpora ipsorum ex terræ pulvere suscitata animabus conjunguntur, tunc demum perfectissimè hæc promissio in ipsis & omnibus fidelibus complebitur. Hanc explicationem tradit Christus ipse, quando post Sacramentalis poculi exhibitionem denuò isthæc verba repetit dicens: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis usq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, ubi adjecto vocabulo *ἔγωγε* ostendit, in regno Patris cœlestis corporeo cibo & potui non fore locum, sed se bibiturum cum fidelibus potum spirituales, cœlestes & incomparabiliter digniorem, suaviorem ac delicatorem, quàm est ullus terrenus potus. Quamvis proinde prima explicatio non simpliciter sit improbanda, tamen hæc tertia est hujus loci genuina ac propria, unde Theophylactus cum primo illius expositionis mentionem fecisset, mox hanc ipsam, tanquam concinnioem subiecit. *ἢ μὲν τῶν ἀνάσσειν*, inquit, *τοῦ θεοῦ σωτῆρος τῶν μαθητῶν, ἢ ἐν τῇ μελλούσῃ καὶ αἰετοῦ μέγα φρονήσεως.* Colligitur ergo hoc loco: 1. quod per quandam *συγκατάθεσιν* vitæ æternæ felicitas ac lætitia per convivia, epulas ac nuptias adumbretur, ut ejus suavitatem quodammodo agnoscere possimus. 2. quod calicem crucis tolerabilem nobis reddere possit memoria cœlestis calicis in regno Dei aliquando nobis distribuendi. 3. quod poculum Sacramentale Christus non voluerit haberi pro potu solius vini, sed simul pro potu sanguinis sui, quodq; non voluerit cibum & potum illum Sacramentalem haberi pro cibo & potu merè corporeo ad sustentationem & alimoniam corporis assumendo, sed pro cibo & potu spiritali, quo promissio novæ & cœlestis mensæ ac novi & cœlestis poculi in regno Dei expectandi debeat confirmari & obfirmari. Atq; hæc esto qualiscunq; explicatio Paschalis & ultimæ illius cœnæ, quam Christus cum discipulis suis paulò antè mortem suam instituit, quam pio isthoc gemitu finimus.

*Qui cum discipulis cœnasti Christi Redemptor,
Fac in corde meo cœnæ parata fiet. Apoc. 3. v. 20.*

CAPUT CLXX.

CHRISTUS APOSTOLIS SUIS PEDES ABLUIT.

JOHANN. 13. v. 1.

RATIO ORDINIS.

DEduxit nos Historiæ series ad *Cœnam*, quam Christus cum discipulis suis in his terris egit ultimam, in qua non solum vetus *Pascha* cum ipsis celebravit, sed etiam novum N. T. Sacramentum, *Eucharistiam* scilicet, instituit, quæ in locum agni Paschalis per mortem Christi abrogati successit. Quia verò *Eucharistiæ* institutionem soli tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas descripserunt, quam Johannes, utpote ab illis sufficienter descriptam, prætermisit; ac vicissim quia solus Johannes lotio-

nem pedum à reliquis Evangelistis prætermittam, annotavit, inde in serie Historiæ difficultas non mediocris hoc loco occurrit. Eam vero ut expediamus, *πρωτογενεσις* loco notandum, quod Benedictus Arias Montanus in c. 26. Matth. ex priscis Rabinis memoret, apud Judæos more receptum fuisse, ut post *cœnam agni Paschalis* legalem significationis & Cœrenoniæ causa institutam, atq; à stantibus celebratam, *cœnaretur etiam adhibitis aliis epulis, prout quisq; pro facultate & religione festi poterat.* Idem confirmat Scaliger lib. 6. de emend. temp. p. 271. *Maxima*, inquit, *solemnis, ut Pascha*